Do spaiania Srebra

Purys Błazgał y Sol oczkowata
iedna połowa soli druga błazgału
a ile waży sol razem z błazgałem tyle purym.

Na Zęby.

Jaio świeże ugotowaić twardo, soli łyszkę wziąć
y razem utrzeć tamże. octu tęgiego trochę ... wlaić y
rozrobić y tym często osobliwie na mieyscu zbolałym
płakać

Antonii Ciesielski

ELOQUENTIA
PROPUGNATA
&
BREVITAS
STUDIORUM
IMPUGNATA

Auctore

P. ADAMO MALCZEWSKI,

è Societate JESU

MDCCLI.

POSNANIÆ

Typis Regiis Clari Collegii Societatis JESU.

ILLUSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMO
DOMINO DOMINO
AUGUSTINO
COMITI
IN KOSCIELEC & DZIAŁYN
DZIAŁYNSKI,
CALISSIENSI
PALATINO
&c.
DOMINO BENEVOLENTISSIMO
In Patrocinium
DEDICAT
Subjectissimus Auctor.
A. M. S. J.

Sapere undequaq;
Telum est acerrimum.
Cicero ad Atticum.



JLLUSTRISSIME EXCELLENTISSIME
DOMINE
PALATINE.

O*Peri Tibi dicato*, JLLUSTRISSIME PALATINE, *uti faveas ipse, nomenq; & existimationis pondus, favore* Tuo *compares; satìs est impetrari à Te, ut in Magnitudinem Tuam*

contui-

contuitum referre velis. Quantas enim exaggerati Virtutibus Animi perfectiones; quantas Naturæ excellentias, in Te collectas demiramur; Te, ut optimarum Artium Scientiarumq́ propugnatori Libello, Clientelæ ſinum pandas; ut promeritum Tuæ prolixæ Voluntatis accommodes; Te ſingulæ devinciunt, devincunt omnes. Generis Claritudo: ad ſummam perducta limam Eruditio: Civili Eloquentiæ juncta Moderatrix Sapientia: de omnibus bene merendi ſtudium: Boni publici amor: cæteræq́ Principe Viro perdignæ qualitates, quæ emolumentis Reipublicæ, & uſibus Populorum leguntur meliùs, quàm Oratoriis coloribus adumbrari poſſint.

Ut ordine dicenda proſequar, illo Sangvine Comitum de Kościelec & Działyń procreatus es, quem ſervandæ integritati Patriæ, ſaluberrimum ſecula comparaverunt. Majores Tui, ab omni retrò memoria, ſemper, in libera Gente, principale tenuerunt faſtigium: Provinciarum Duces Palatini, Caſtellani, primaq́; Senatus Poloni Columina. Vel, quòd ad tractanda Terrarum gubernacula natos, & à naturâ formatos Temperatores crederet Reſpublica; vel, quod contra quævis diſcrimina, fortunæq́ dimicationes, perpetuum quoddam, in Proſapia Veſtra, ſibi defigeret præſidium, deligeretq́. Purpuratos inter Domûs Illuſtriſſimæ Tuæ Patres, cenſentur tres Poſnanienſes Palatini: quinq́ Caliſſienſes: tres Siradienſes: duo Lancicienſes: novem Junivladislavienſes: octo Breſtenſes Cujavienſes: totidem Culmenſes: quinq́ Pomeraniæ. Caſtellani Majores viginti & ampliùs. Ut, quam adiiſti Caliſſienſis Provinciæ Curulem, non ambitione præeminendi quæſiviſſe; ſed tanquam avitum decus, quodam quaſi jure ſucceſſionis debitam, apprehendiſſe reputeris.

Non de illo ſum Oratorum numero, qui in laudes Heroum effuſi, ubi illuſtre nomen defecit, continuò DEUM fingunt. (*) *Divorum tamen propaginem, atq́*

(*) Seneca.

atq; Cælitum Sanctitatem, in Te efflorescentem, agnoscere debeo. Quid enim vel ad commendationem venerabilius, vel augustius ad gloriam cogitari potest, quàm Divinissimi Tutelaris KOSTKA *censeri Sanguine? Hic vero per Proavos, gemino in te alveo se collegit. Nam.* STANISLAUS KOSTKA *Palatinus Culmensis, unam Filiarum Christinam,* PAULO DZIAŁYNSKI, *Castellano Dobrinensi, in Matrimonium collocavit: ex qua ortus* MICHAEL Palatinus Brestensis, *& ab hoc, proximâ ac rectâ lineâ, Progenitores Tui descendunt. Altera, quæ Eundem Sanctum Gentilem suum, gradu propinquiore contingit,* SOPHIA de Sztemberg, CHRISTOPHORI de Sztemberg KOSTKA, *Palatini Pomeraniæ proles,* PETRO OPALINSKI, *Palatino Posnaniensi, in thalamum concessit. Ex qua susceptus* CHRISTOPHORUS OPALINSKI, *Posnaniensis itidem Palatinus,* TERESSIA de Czarnkowsciis *Consorte natam Opaliniam,* VENCESLAO LESZCZYNSKI, *Palatino Podlachiæ, Sociam Vitæ dedit. Tantorum vero Parentum Filia,* MAGDALENA de Lesczczynsciis, PAULO DZIAŁYNSKI, *Sigismundi Palatini Calissiensis Filio, in manum convenit. Quorum Progenies* SIGISMUNDUS *Avus Tuus, lectissimâ Feminarum, ex* TARŁONUM *Domo, in fidem tori acceptâ, Liberis auctus,* JOSEPHO, & THEOPHILA; *hanc Senatorio* SZOŁDRSCIORUM *Nomini in Matrem despondit; Tuus vero Parens* JOSEPHUS, MARIANNA de POTULICCIIS *pactâ conjuge, Te non ita ad communem lucis usuram sustulit, ut ad Fasces, & Purpuras, & ad amplissima honorum ornamenta. Porro, per* LESZCZYNSCIORUM *Consanguinitatem, Regium Sceptri decus, Potentissimorumq; Europæ Regum Imagines, atq; Domus Borboniæ Stemmata, Avitis Majorum Tuorum ceris inserta sunt.*

Exaggerat Magnæ lucem Originis, aliud

aliud vinculum Propinquitatum. Prolixam non texo Cognationum lineam, ne cadam in infinitum. Quàm tamen in perenne consortium Tibi Conjugem devinxisti, reticere fas non non est. Parentibus Illustrissimis, JOANNE RADOMICKI, *Palatino Junivladislaviensi, Majoris Poloniæ Generali Præfecto,* & DOROTHEA de BRONISSIIS *edita* ANNA, *Paterno Sangvine,* CZARNKOWSCIOS; *Materno,* SZOLDRSCIOS, & *Sacri Romani Imperii* Principes JABLONOVIOS; *Utroque* LESZCZYNSCIOS, *Perstenios;* FRANCISCÆ *Sororis Connubio,* LADISLAUM SZOLDRSKI, *quem hodie suum Junivladislaviensis Provincia Palatinum; suum Major Polonia Generalem veneratur & diligit: cum his verò, Optimatium Virorum, Potestatum, Procerum, alterum quasi senatum, maritali fœdere, Tibi consociavit: Suæque Radomicciorum Genti, jam extinctæ, & nunquam satìs complorandæ, superstes, universæ Domûs Nominis Immortalitatem, Triumphorum & Gloriæ Insignia, in Te transcripsit, & Działyńsciis illigavit.*

Tam illustri splendore Nominis conspicuus, quidni Operi non insulso quidem, neque adeo inexculto, quidni benevolus sis? Naturâ, Magnis Viris insitus est amor scientiarum. Quantùm illos ab imperita multitudine secrevit celsitudo Natalium, quantùm fortuna distinxit; tantùm Disciplinas liberales doctarum mentium altrices, in deliciis habent. Has Penatibus suis inquilinas percolunt: has in benè gerendis Dignitatibus comites: has magnarum rerum aggrediendarum consultrices adhibent, & *administras. Ædes suas, tanquam Minervæ Sacrarium, mirificâ librorum copiâ splendidè instruunt: non tam ad magnificentiæ scenam explicandam; quàm ut doceant, nihil sibi esse antiquius, quàm doctrinarum omnium pollere opulentiâ: pascique oculos libellis volunt, quibus innutriti, olim ad eruditionis apicem perve-*

venerunt. Neq; ulla res majore illos animi voluptate permulcet, quàm multiplex Scriptorum pertractatio.

Thesim hanc, quæ alibi fortè non satìs dilucidè paret, Tu evidentem & probatissimam facis. A primis enim igniculis, ad optima quævis studia excitatus, totum virentis ævi florem, in illis bonarum artium fructibus maturandis consumpsisti, quos literatum parit otium. In pulvere Scholastico, ludus tibi erant non umbratiles quædam exercitationes ingenii; sed quæ Virum formarent rerum intelligentiâ perspicacem, oratione limatum, in deliberationibus peracutum, in problematibus discutiendis peracrem atq; subtilem. Hinc in publicum & solem provectus, apparuisti protinus humanioris non minùs, ac reconditioris literaturæ artibus, perfectè politus, copiosæ eruditionis plenus, exterarum Nationum politiæ, nec ignarus existimator; nec admirator nimius: juris, legumq; Patriæ, Conservator rigidus, & non frigidus vin-

dex.

dex. Memorata Animi Bona, Tibi non modo publici oris conscientia, verum vel ipse livor adjudicat. Sive enim Civiles politici fori disceptationes Cognitorem Te postulant; Sanctionum Capita paratus depromis: nodos legum perplexiores, peritus evolvis: Sententiam dicis dexterrimè: litem dirimis felicissimè. Sive Criticorum tricas, aut curiosa philosophantium placita, doctarumq; dubitationum contentiones ad libram suscipis; nemo subtiliùs arbitratur momenta rationum: acie mentis perscrutatur nemo profundiùs: quæ pars sincera & solida consistat, disertiùs nemo discernit: quæ fucata, & expers veritatis sit? nemo tam divinè pronunciat. Ut jam non alium vel æquiorem expetere; vel Sagaciorem præ Te, æstimatorem & Arbitrum invenire præsumant, quæ se à mucronibus obtrectatorum vindicare volunt Scientiæ.

Eloquentiæ Tuæ Dignitatem, dexteritatem, suavitudinem, ubertatem, an e-

go vel

go vel assequi verbis, vel dignè commemorare valeam? Singulari quadam & incredibili disserendi virtute antecellit. Quid enim admirabilius est? *poscit Tullius*, quàm sapientibus sententiis, gravibusq; verbis ornata, perpolita, & nulla in re rudis oratio? (*) *Talis Domi forisq; Orator inclaruisti Illustrissime Palatine. Sententiosus concinnus, acutus, prudens undequaq; ac nervosus. Cujus authoritati nihil affabilitas officit; nihil de majestate delibat comitas; nihil derogat de severitate jucunditas; objurgationum acrimonia, nihil dulcitudinem inquinat lenitatis.* Quid præstabilius? *interrogat Cicero*, quàm hominum cætus dicendo tenere, mentes allicere, voluntates, quò velis, impellere, aut, unde velis, deducere? *Talem Te recognoscit Senatus, memoratq; quoties effervescentes Comitiorum fluctus, insigni moderatione compescuisti, turbines & procellas consultationum, linguâ placatas reddidisti: dissonas inter se, vel fluctuantes, in Tuam*

(*) L. 1mo de Oratore.

Tuam Sententiam partes rapuisti. Quid tam magnificum & potens? *quærit Idem*; quàm populi motus, Judicum fidem, Senatûs gravitatem, unius Oratione converti? *Talem tamq; potentem adhibes in omnibus subselliis & Senaculis, oris diserti machinam, cujus artificio, popularis motûs faces sopiuntur & frigent: simultates, concordiâ leniuntur: franguntur inimicæ lites: subsidunt contentiones: & sæpè desperata animorum unio, confestim redintegratur. Tam in svadendo fortes Orationis nervos instruis; ut, dum sententiæ principatum tenes; unanimitatis concentum protinus ab omnibus elicias: si post alios sermonem instaurare libuerit; multorum Suffragationibus, rogationibus, conversionem receptumq; indixisti.* Quid porro tam Regium tam liberale? *exclamat Tullius*: quàm opem ferre supplicibus, excitare afflictos, liberare periculis, Salutem dare? (*) *Tuum id esse munus reputas Senator Maxime. Talem sive in publicis congressi-*

(*) Ibidem.

gressibus; sive in domesticis colloquiis, depromis vim eloquendi, quæ, cùm communi Ordinum tranquillitati, commodo, utilitati, saluti, prospicit consultissimè; tum privatæ singulorum consensioni, quieti, fortunæ, prosperitati consulit saluberrimè. Egoné verò aliud quodpiam, & non tale Oratorum genus, à Criticorum pugiunculis eripiendum suscepi? Minimè gentium. Tuæ medullam Svadæ, à crabronum aculeis tueri, liberare ab invidentiæ morsibus, mea contendit lucubratio: Tibi, Tuæq; *famæ & gloriæ militat. Ut, nisi in* Te *injurius esse velis; Vindici Oratorum Libello, invitantia lumina præcidere non possis.*

Unde ergo illa Nobilitatis devotissima erga Te *voluntatum conspiratio? unde tam concitatus amor? tam proclivis observantia, Dignitatis quidem, sed major Personæ cultrix? tam inflammatum studium? ut* Te *omnibus Officiis prosequi,* Te *summis efferre laudibus,* Te *in sinu gestare, in oculis ferre gestiant universi? Istud nimirum est, quod dixi, quodq; amplius enarrandum assumo.* Carus haberi meretur ab omnibus, qui indesinenter quærit mereri optimè de singulis. *Neminem mortalium cujuscunq; sortis, & fastigii, quocunq; fortunæ crimine percussum, inveniri arbitror, cui levando, adjutricem manum aut non ultrò obtuleris; aut exposcenti recusaveris. Nullum tempus est, quod humanas vices non vertat, non misceat, non tragicis casibus committat.* Hunc *litigiosi fori insectationes non sinunt pacatum agere: illum vicinales injuriæ, de proximo exagitant: alium improvisa offensio invadit & opprimit: alium domesticæ ærumnæ fodicant; istum negotia molestiarum plena discruciant. Sunt, quos gregatim plures simul afflictationum undæ obsident: sunt, quos continenter alia ex aliis exercent infortunia. Omnes melioris aleæ spem fixam,*

at

atq; è profundo calamitatum emergendi Anchoram, in Te reponunt. Occurris enim quocunq; malorum discrimine laborantibus, ut Castor & Pollux, infami naufragiis freto. Provides Lyncea cognitione, tanquam ex specula, quibus aliquis se casibus induat? quibus detrimentis se objiciat? quantis æmulationum, fatorum, invidiæ, jactatur, inops consilii, tempestatibus. Antevertis celeriter: nec sustines vel unum præteriri à Te, cujus integritati ac saluti, Tuam operam, Tuam Personam, Tua officiorum, Consiliorum, favoris & potestatis momenta, etiam non imploratus, neq; conventus, non sponte consecraveris. Ut Te, non jam ceu Patriæ Patrem; sed (quod de Pompeio Tullius asseruit) tanquam Cælo delapsum Divinum hominem, *omnes suspiciant, amplexentur, dissvavientur, magnifaciant.* (*)

Atq; hic se evolvit Tuorum, EXCELLENTISSIME PALATINE, *in Rempublicam meritorum magnitudo. Cui enim non constat, publici boni amplificatorem esse maximum? qui privatæ Civium perturbationis, conflictionis, dissidentiæ, pacator, delinitor, conciliator, pervigil ac fortunatus est. Quanto erga Patriæ felicitatem necesse est ferri amore Virum? quem indefessa cura sollicitat, ut singulorum pericula avertat præsentia, propulset instantia, intercludat ventura. Qui toto consilii robore in hoc incumbit, ut gliscentium fomenta dissidiorum, mature consopiat, & perimat: odiis exulceratos, ulciscendi siti æstuantes, restingvat animos; cohortatione frangat; Oratione emolliat; authoritate componat. Ut forensibus persecutionibus irretitos, à litigatorum laqueis, scienter expediat: ut adversâ fortunâ vexatis, desperatione remedii cadentibus, quoddam quasi auxiliare numen, & manus ferentaria sit. Hoc Tu facis assiduus,* Comes Jllustrissime, *hoc meditaris, in hoc Te totum impendis. Nullum*

(*) Orat: pro lege Manilia.

Tibi lætabile bonum, quod non publicum: nulla præstabilis Dignitas, quæ non universorum commodis secundissima: nulla Honoris vel gloriæ cupiditas major, quàm prosper cursus, & tranquillitas popularium. Habet itaq; in Jllustrissimo AUGUSTINO DZIAŁYNSKI, *Comite Palatino, Senatorem Poloniæ, qualem votis omnibus, libera olim sibi Roma optavit, & Romanus Orator definivit.* Qui omnes suas curas, in Reipublicæ Salute defixit. (*) Qui Salutis mentisq; publicæ, custos, præses, & propugnator est. (**)

Tanto, maximarum virtutum, quibus Senatum præclarè illuminas, fulgore præditus, Palatine Excellentissime, *paratum ad Te, lucubrationi meæ confugium reserásti. Tuarum illa Ingenii dotum, Animiq; Tui tenuis quædam imago, vel potiùs Umbra imitatrix est. Si Tibi amor boni publici infixus cordi est? talis erga publicum bonum, voluntatis, non exiguum specimen,*

(*) Cicero in Antonium. (**) Pro Sestio.

cimen, bonarum artium defensor exhibet liber. Si Palatinos Fasces, studium bene de omnibus, optimè de Republica merendi, exercet continuò fatigatq;? non multùm absimilis Scriptionem meam labor procudit. Liberaliter studere prodesse disciplinis liberalibus: de re Literaria prolixè mereri posse: Divinas humanasq; scientias, à crimine & probris conviciatorum exsolvere: atq; adeò utilitati publicæ actuosè deservire; hic finis, hoc votum, hoc summum operæ meæ pretium est. Mittamus jam licèt alios Titulos; certè vel uno hoc nomine, satìs oculis Tuis probatum, pergratumq; Opus, *susceptione benevola dignandum, Teq; non tantùm Fautorem Propugnationis meæ perpetuum; sed & potentissimum Propugnatorem fore confido.*

Inspirant hanc mihi fidentiam, Vestra DZIAŁYNSCIORUM *in minimam Societatem* JESU, *maxima promerita. Vivit enim in Posterorum recordatione,*

Jllu-

Illustrissimus ac Reverendissimus Culmensis Episcopus GASPAR DZIAŁYNSKI: *vivit inextincta Ejus, erga Bidgostiensem, Mariæburgensem Societatem, gratiarum prodiga manus: quæ obsolescet nunquam, & nulla oblivione temporum obliterabitur. Immortali memoriá recolit, servat, ac nutrit, Gratias Illustrissimi* JOANNIS DZIAŁYNSKI, *Culmensis Palatini, Graudentinum Collegium: cujus munificentiá fundatum, emunitum, reditibus stabilitum, quàm feliciter à prima radice assurexit; ita Pronepotum conservatrice manu fultum, ab injuriosis vexationibus, Vestra defensione, liberum, tempestati cedet nulli: stabit indemne perenniter. Illustrissimi verò* THOMÆ DZIAŁYNSKI, *Terrarum Prussiæ Thesaurarii, Palatini Culmensis, tam affluenter porrecto alveo, se benefacta, in nos, effuderunt; quàm latè per Prussiam evagatur Vistula, & Societatis JESU Collegia nuncupantur. Illos quidem sua erga Religionem, ac Divinum cultum pietas, pridem Cælo asseruit; nos tamen usq; adhuc cordibus insculptos retinemus. Equidem tot meritorum authoramentis obærati, debitioni redhibendæ, pares erimus nunquam. Profiteri tamen sanctum est, Vestris nos Honoribus, toto pectore addictos, deditos, devinctos, ac mancipatos esse. Id quod profundæ summissionis officio, & singularis obsequentiæ Studio.*

Declarat.

Sociorum minimus.

Adamus Malczewski
Soc: JESU.

Facultas Superiorum.

JOSEPHUS DOMARADZKI

Præpositus Provincialis Societatis JESU per Poloniam.

CUm Opus, quod inscribitur: *Eloquentia Propugnata, & Studiorum brevitas impugnata*, aliquot Societatis Nostræ Theologi recognoverint; & in lucem edi posse probaverint, Potestate mihi facta ab Admodum Reverendo Patre Nostro Francisco Retz, Societatis Nostræ Præposito Generali, Facultatem concedo, ut typîs mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus Fidem has literas, manu meâ firmatas, & Sigillo munitas dedi. Petricoviæ 15. Januarii 1750.

Josephus Domaradzki S. J.

(L. S.)

APPROBATIO

Illustrissimi ac Reverendissimi Domini JOSEPHI Comitis de Werbno PAWŁOWSKI, *Episcopi Niochensis, in Ecclesia Cathedrali, Archidiaconi Pscevensis, Vicarii in Spiritualibus, & Officialis Generalis Posnaniensis.*

E*Loquentia Propugnata, & Studiorum brevitas impugnata*, Liber ab Admodum R. P. Adamo Skarbek Malczewski, Societatis JESU Theologo elucubratus, cùm nihil contineat Fidei integritati, aut morum honestati contrarium; quinimo styli elegantiâ, svavitate, ac robore, eruditionisq; copiâ, Doctis Lectoribus, Animi voluptatem; Discentibus, solidæ doctrinæ lucem profundat, ac eliciat; Opus exspectatissimum, ut Typîs mandetur; Facultatem, Auctoritate Nostra, quâ hac in parte fungimur, impertimus. Datum in Residentia Nostra solita ad Cathedram. Die 24. Februarii 1750.

JOSEPHUS PAWŁOWSKI, Officialis Generalis Posnaniensis.

mpp.

Curioso Lectori

Auctor Salutem

QUòd iterum Eloquentia, novo ac emendatiore vultu perpolita, publicum experiri Solem non reformidet; crebra multorum & Insignium Virorum, quorum non obsecũdare votis, criminι mihi duxi, evicit postulatio. Quòd Libellus novis auctibus immodicè cumulatus, locupletior, & alius ab illo, enotescat; nonnulla effecit occasio, quam patefacio.

Die quopiam conveneram, honoris deferendi

causâ,

causâ, quendam amplissima Sacerdotii Dignitate primarium, ut vocant, Prælatum. *A quo perhonorificè acceptus, & ad intimum conclave perductus, Opusculum meum Eidem, subjectissimè, in munus & in sinum obtuli. Cujus, ubi aliquot paginas obiter uno quasi aspectu evolvisset, habere se dixit non absimilis ferè argumenti Auctorem extraneum, ab Italia sibi transmissum: protulitq; ex Musæo folia quædam impressa hoc titulo:* Oratio de utili Studiorum brevitate. *Incessit me curiositas cùm operis, tum Oratoris pernoscendi. Sed ille, neq; ad momentum oculis meis concedere scriptum illud voluit: Auctoris tantùm* Isidori Oliverii *nomen esse prodidit. Conabar obnixè rogando prævalere; donec manu mihi prehensa, dixit. Si quando aliquem insolentem Ostentatorem, sive gloriosum Thrasonem, in Viros doctrinâ illustres nefariè debacchantem, contumeliis grassantem, convicia despumantem, veteratoriè multa, solidè nihil conficientem, audivisti vel legisti; nunquid exinde aliqua te animi voluptas cepit, & non magìs efferavit indignatio? Tu ergo talem orationem pervolutare discupis? magnæ & justæ offensionis vulnus tibi accersire vis. Auctor certè is est, qui, cùm multa Romano ore indigna evomat; tum vel hoc indignissimum, quòd apud illum, omnes vos, cum vestra Peripateticorum & mea Philosophia, mea inquam, quam à vobis in juventute, studiosè perdidici, & usq; hodie bene teneo, non homines estis, sed* insani, perniciosi, rabulæ, blaterones. *Hoc etiam supra modum polito nomenclatore, vestri Classium Magistri, latrinarum curatores sunt, & instituendæ Juventutis Classes,* Grammaticorum cloacæ. *Ultra hæc, in Hæreticorum prædicationem, eorumq; sapientiæ, acsi novarum scientiarum Inventricis commendationem, totus effunditur. Religione, an Ratione, sanior sit, an vanior? quid reputas? Ego sentio, inquinatiorem ab illo, petulantioremq; Sophistam, magisq; inurbanum in Urbe logodædalum nullum esse. Sed mecum prandebis, & post dapes tractabimus affatim hanc materiam.*

Urebant hæc intoleranter aures meas, ab omni linguæ inclementia refugientes. Vacabam invitissimus auditioni: volebamq; statim admaturare discessionem. Sed, dum impetrare abitum contendo, variasq; excusationes prætexo, interim apparatur mensa, triclinia posita, cibi illati. Rogatus, ut accumberem, non potui tam benignæ hospitalitati, citra rusticitatis labem, renuntiare.

Paucissimos inter discumbentes, præcipuus erat Nepos dicti Prælati, Indole liberali Juvenis, suo cum Pædagogo. Istum non obscurè constabat ab exoticis Gymnasiis recèns commeâsse. Celebrabatur enim ab illo philosophia novitia, & Philosophi, ut plurimùm novi Novatores. Mensa erat frugaliter opima: non multi, sed exquisitissimi opsonii.

psonii. Super quam, qui nos perhumaniter habuit, Antistes, rogatiunculam proposuit de utili, & quæstuosa Literarum tractatione. Quidnam in his sive primò discendis, sive perficiendis, & perfectè consummandis (nihil enim moror illos, qui strictim aliquid ex omnibus studiis, tanquam canis ex Nilo degustârunt) quid in optimis Scientiis & Artibus conducibilius sit, quid expediat magis? Utrum substricta compendiaria brevitas? an verò prolixè operosa mora & diuturnitas?

Pro Grammatica, comiter ac modestè respondit meus Socius Magister, ita præloquens. In brevibus nunquam sese probat Æolus undis.(*) *Thesim hanc succinctè inductionibus illustrando, opinionem suam de Arte Grammatica corroboravit: conclusitq; in hac disciplina tradenda compendiis uti, perinde esse, acsi quis super luto, quod hyems duravit, vellet altam & durabilem ædificationem ponere. Sed idem contra novæ Philosophiæ brevitatem, validè cum pædagogo concurrit: Cùmq; esset, à præliis Philosophicis recentissimus, & adhuc calens; facili negotio, fermè ludibundus compressit ac fregit adversarium, in illo genere armorum, quæ Logica cudit, inexercitatum, rudem omnino ac talis belli inexpertum. Ego Nobilissimum Juvenem exploravi: atq; nonnullis de Rhetorica percontationibus vexato, cùm mihi doctrinæ suæ specimen præbuisset non exiguum; laudem ex ingenii præstantia tribui. Oratoriæ autem facultatis brevitatem, non modò Studiosæ Juventuti; sed & universæ Reipublicæ summoperè detrimentosam esse, gravissimis rationibus ostendi.*

(*) Claudianus.

Hæc ibi disputata, ut in lucem proferantur, operæ pretium fore duxi: adjeciq; animum ad ea passim interserenda, prout in multiplici varioq; sermonum tractu, se tantùm non ubiq; in controversiam obtulerunt. Potissimùm tamen, quasi ex proposito, Dissertatione 3tia & 4ta. Porro Rhetoricam contractione mancam & mutilam, sterilem inutilem & infructuosam esse, Dissertatio 5ta singulari duello evincit.

Horum perspicax Lector, ut rectus Judex sis; qualemcunq; hanc operam, non præjudicatæ opinionis supercilio, quod rationem effascinat, (**) *sed exploratæ veritatis pupillâ quæso percurre. Atq;, si solidè comparandis melioribus, utilioribusq; scientiis, quas tuetur & promovet, aliquam accessionem allaturam reris; bonis studiis & artibus congratulere. Si publicæ rei bono, quod unicè respicit, haud nihil suffragaturam æstimas; bona verba da Auctori. Si invidus es? parce brevi morituro.* Vale.

(**)

(*) Tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam ſine ratione valeret Auctoritas.

Cicero de Nat. Deorum l. 1.

ELO-

ELOQUENTIA
Propugnata
&
STUDIORUM BREVITAS
Impugnata.

Ad Studiosam
Collegiorum Nostrorum
Juventutem.

Suscepi mihi perpetuam propugnationem, pro omnibus Ornamentis tuis.
Cicero ad Licinium Crassum.

ILla est labentis, quod decurrimus, seculi, sive laudis, sive labis vicissitudo; quòd, cùm optimis ingenuisq; Artibus & Scientiis efflorescere; omni Literatura, omniq; eruditionis genere præstare nullus non gestiat; in censendis tamen de Eloquentia politiore arbitriis; in sublimioris Philosophiæ taxatione & trutina, nimis pleriq;, ut modestè loquar, fastidiosi sunt; morosi nimis. Ad Criticorum Tribunal citantur Oratores, quorum Nomen & fama Orbem præterve-

cta, videbatur longè & altiſſimè ſupra invidiam eminuiſſe: cenſoriis virgis crudeliter vapulant Triumphales, ac Laureati Viri: & propè ipſum illud non Hominis, ſed Eloquentiæ Nomen Cicero. Quid tandem eſt, quod præclaram atq; utiliſſimam bene ornateq; dicendi Artem, criminationibus objicit? Quicunq; ex animo devotus Tullio es; indue lugubria. Marci Tullii lingua emortua comploratur. In leſſum erumpe!

Deflendus Cicero eſt, Latiæq; ſilentia lingvæ.
Sextilius.

Equidem, ſi de puritate, proprietateq; verborum Latinorum lis vertitur; Grammaticis à Profeſſione lapſis, dica graviſſima impingenda eſt. Sic enim illos officii admonet Fabius Quintilianus. *Inſtituere ætates nondum Rhetorem capientes, ut narrare ſermone puro, nihilq; ſe ſupra modum extollente condiſcant, Grammaticorum Profeſſio eſt.* (*) Iſtorum itaq; ſua ſuſceptæ Perſonæ oblivio, puri, emendati, Latiniq; ſermonis eſt defectio. Nam Eloquentia, ut certæ cuidam lingvæ & genti alligata non eſt; ſed in ore cujuscunq; demum Nationis, æquè ſui ſimilis clareſcit, fulgurat, & dominatur; ita Virtutem, excellentiam vim quandam ſupe-

(*) L. 1. cap: 9.

ſuperiorem & admirabilem obtinet, cujus paratu, porrigit ſe ultra verba ſublimiùs, ultra verba grandeſcit ampliùs, emicat ſplẽdidiùs, penetrat ſe in corda ſvaviùs; in animos, graſſatur validiùs. Ut, ſi verum audire volumus, Ciceronis ſententiæ ſuc-clamandum ſit. *Nemo unquam Oratorem, quod latinè loqueretur, admiratus eſt.* (a) Alterum Eloquentiæ convicium dicitur, quòd ab habitu naturæ Rhetorica diſtet elocutio. Nunquid Ars à natura non diſtat? aut non artis eſt, excolere, emendare, ac reconcinnare naturam? Sanè quidem artes ingenuæ ſunt, quæ naturam perpoliunt, perficiunt, perornant, locupletant, & conſummant. Quantùm igitur artis elegantiam, ac formam, à naturæ pervagata ſpecie diſtingvi diſcrepareq; neceſſe eſt; tantùm Artificioſi ſermonis cultum differre, diſcerniq; à communi, uſitata, naturali, impexa, incompta oratione. Iſti rei ſi quis oggannire connititur, cervicoſam opinationem Tullius jugulabit. *Ars eſt dux certior, quàm natura.* (b) Altos præterea Spiritus, elatumq; ſupercilium appingunt Oratoribus. Ad vulgatiſſimam pe-deſtris,

(a) Lib: 3. de Oratore. (b) Etſi ingeniis magnis præditi quidam, dicendi copiam, ſine ratione conſequũtur, Ars tamen eſt dux certior, quàm natura. *De Finibus bonorum & malorum Libro 4to.*

destris, depressæ & obviæ dictionis consvetudinem se dejiciant, cedimus; atq; Plinii Secundi judicio stamus. *Oratorem debere erigi, attolli efferriq; : ut, quem nihil magis quàm ancipitia commendant.* (c) Nimiis verborum flosculis & phaleris, teneram, usq; ad delicias, luxuriare dictionis lasciviam objectant. Quid dicam? *Hæresis est, quæ nullum sequitur florem Orationis*: clarè denuntiat Cicero. (d) Perstringit fortè hæresis istius oculos, excuratus & teres periodorum ambitus, figurarum varietas, acuminum lepos, crebra translationum lumina, rerum dives nec indotata amplificationum profluentia; verborum Sententiarumq; torrente offenduntur. Itaq;, exilitatem, & orandi inopiam profiteantur, macie perempti, malè habiti, atq; lignei Oratores, non æmulamur. Ridet illos Romanæ Parens facundiæ: qui *quum obruerentur copiâ Sententiarum atq; verborum; jejunitatem & famem se malle, quàm ubertatem & copiam dicebant.* (e)

Et obtrectationes quidem, tametsi putidè novitatis vultum prætendant, Vetulæ sunt.

(c) ad Lupercum. (d) in Paradoxis. (e) libro 2do Tuscul: quæst.

sunt. Cum Eloquentia simul nata est carpendæ Eloquentiæ libido: nec quidquam odiosum comminisci potest nova dicacitas, quod jam olim spretum explosumq; non fuerit. Hoc enimvero novum & insolens est, hoc intolerandum puto, quòd Censorii styli mucro, etiam in reconditiores magnarum rerum Scientias, cruentus desæviat: quòd Artem Disputatricem excidere, Aristotelem, ejusq; Philosophiam fœdissimis cædibus lacerare, dilaniare, quasi in amputationem omnium Bonarum Artium conspiraverit, non revereatur. Nimirum, omne Sapientiæ studium, in brevibus & arcto, quasi pelagus in faucibus angustis concludere, quod ipsi utilem Studiorum brevitatem vocant, Ævi nostri Criticorum votum est.

Atq; istud est, quod celebratissimas Sapientiæ Doctorum Exedras non leviter nec injuriâ commovet; Lycæa frequentissima, ad calamum stringendum animat; docta ad procudendas Vindicationes hortatur & exacuit Ingenia. Verùm mihi, neq; jam ingenii & animi vires tam validæ sunt, ut in arenam Luctator veniam; neq; ingravescens, annisq; infractior ætas, ut depugnem, dat veniam. Quarè, habilioribus lacer-

tis,

tis, hanc gloriæ Spartam reſigno, aliisq; ut, ſive pro ſeverioribus, ſive pro maſvetioribus Diſciplinis vindicandis, ſtrenuè digladientur, cedo campum.

Non exile tamen operæ pretium, cùm Reipublicæ; tum rei literariæ facturum me exiſtimo; ſi literis conſignavero, excudamq; aliquid de celebri quadam diſceptatione, quæ, me præſente, in ſplendidiſſimo Optimatum, Illuſtrium, ac Nobilium Virorum conſeſſu, *De emendandis Eloquentiæ vitiis* excitata, nec modicis contentionibus jactata fuit. Tantò verò impenſiùs mihi incumbit, ut omnem objectationum ſeriem, diligenter expromam; quòd in illa celebritate, non ſpectatorem otioſum, ſed & actorem, & propugnatorem, ex improviſo egerim. Planè enim inſperanti, ac imparato mihi quid loquerer? plures, quaſi ex inſidiis, indagationes, haud immeditatè diſpellendæ, objectæ ſunt, à viris doctrinâ, ſapientiâ, dignitate, authoritate, ampliſſimis. Quas ex tempore, ac manu brevi enodare, non æquè expeditum mihi erat. Reſpondere tamen promptè debui, unicuiq; ad ſatisfactionem. Et, quod in tali diſſentientium ingeniorum pugna, in concertatoriis

toriis ſermonibus, ſcopuloſum eſt, procul ab omni acrimonia, procul invidiâ, procul offenſione. Neq; in ſilentio reponetur altera quædam ſingularis conflictatio, quam habui cum uno, qui ſibi multarum ſcientiarum perſvaſionem induerat, homine extraneo ac peregrino, *De ſtudiorum collecta brevitate.* Quam ille, ut valde utilem promovebat, ego contrà, Juventuti æquè, ac Reipublicæ, pro certo pernicioſam fore ſtatuebam.

Utriusq; argumenti non incurioſam narrationem, *Erudite Lector*, citra tædium accipies. Certè quidem prolixiore ſermonis itinere proferendam; id agam tamen, ut neq; tibi expoſitio faſtidium allatura ſit; neq; mora fatigationem. Et niſi falſus animi ſim, citiùs me fortè verba deficient, quàm perlegentem fames, vel aviditas evolutionis.

DISSER-

DISSERTATIO I.
De Vera Eloquentia.

POlonis cùm innata morum comitas, civilissimaq; consvetudo est; tum officiosæ hospitalitatis cura singularis. Sumptuosæ frequentissimæq; Procerum juxtà ac Nobilitatis mensæ instruuntur: ad humanitatem splendidè, ad lautitias exquisitè. Verùm, quod præ omnibus ferculis jucundiores ejusmodi commendat accubitus, sunt sermonum condimenta. Perrarò enim admittuntur parasiti, arrisores, qui ridicula scurrilitate delicias convivis faciant. Urbanæ facetiæ, salesq; liberales, posita severitate jaciuntur, animosq; ad hilaritatem traducunt tenero acumine. Præcipuè tamen diætam sibi vendicant quæstiones curiosæ, doctæ, politicæ, perdifficiles, atq; ex abdito scientiarum fundo petitæ. Et discutienda quidem problemata passim proponunt ipsi Magnates. Viros verò eruditionis opinione claros, ad responsionem provocant. Eâ gratiâ, quicunq; ingenio certare prompti sunt, qui omnibus Musis innutriti esse creduntur, hos frequentissimæ invitant cænationes: non ut gulæ indulgeant; sed ut doctissima quæq; copiosè disserant, argutè resolvant difficillima. Talis epuli honorem, cùm mihi nec excusare, nec citra existimationis jacturam subterfugere licuit; constitueram non improvidus adire. Sed cùm plurima commentandi capita præcogito, & mecum retracto; nihil minùs prædivinare animus potuit, quàm quod obvenit. Fortè tamen fortunâ factum est, quòd non multis antè diebus, cum Eminentissimi Pallavicini Vindicationes per otium evolverem; simul Institutiones Oratorias Fabii Quintiliani, Tulliiq; de Oratore tres Dialogi libros non obiter inspexi. Sederunt hæc sinu memoriæ tenaciùs, quàm putabam.

§ I.

Ut ergo in corona primarum Dignitatum; in frequentissimo illo præstantium Virorum Senaculo magìs, quàm cænaculo, sedendi ordo dictatus est; ex ordine discubuimus. Prægustata est promul-

ſis, porrectæ & liberaliter tractatæ dapes, primaq; fames placata. Derepentè, primæ amplitudinis Perſona, cùm principalibus in Republica geſtis muneribus, tum ævo grandior, ſermonem induxit de imminuta Eloquentiæ dignitate. Multa in laudem priſcæ facundiæ, multa de Proavorum claritate, judicio, nitore, pondere dictionis, in medium attulit. Illos aurum fuiſſe locutos dixit: hodie verò Minervam luteam, pro Divina haberi: & noctuam, quæ bonarum artium Præſidi appingitur, religiosè percoli: noctuæ Genio, ſangvinem & medullam Suadæ libari, ſacrificari.

§ 2.

Auctoritas Viri eminentis, cunctorum ora in ſilentium compoſuit. Harpocrati Sacra facere videbantur omnes: neq; unum reſpiciebant. Nutu, pro imperii ſigno accepto, datâq; præmeditationi brevi morâ, ſic orſus ſum.

Curro in tuam ſententiam, Principum Sapientiſſime. Quis enim perſpicaciſſimis oraculis tuis contravenire præſumpſerit, niſi temerarius? Tecum mihi planè, Vir Ce[illegible]ſime, eſt ſemperq; erit eadem mens

& opi-

& opinio. Fuit quondam Oratorum ætas illa aurea: cùm Xenophontis voce, Muſæ quaſi loqui, in ejus labris ſediſſe quandam perſuadendi Deam, ſermonem ipſæ finxiſſe Gratiæ videbantur (*Quintil:*) Florebant lectiſſimis ac diſertiſſimis Viris, Roſtra Oratoria, quando Platonis ore, Jovem ipſum locuturum fuiſſe decantatum eſt: (*f*) atq; ad vagientis cunabula convolâſſe apes, quæ tale eloquentiæ nectar laborârunt, ut linguæ Divinitatem quandam tribuerint. Erat ille in diverſo orationis genere nitidus & comptus, atq; omnes dicendi veneres ſectatus Iſocrates. (*g*) *cujus è ludo, tanquam ex Equo Trojano, innumeri Principes exierunt.* ait Cicero. (*h*) Neq; oblivione ſepelienda eſt illa Demetrii Phalerei Oratoriæ dignitatis virtus & copia, quæ trecentis ſexaginta æreis ſtatuis, ab Athenienſibus dedicatis, ad immortalitatem conſecrata eſt: (*i*) honore nondum adhuc juxtà, cum admirabili viri facundia certante: dum ære Corinthio fuſæ imagines, aurei oris æſtimationi reſpondere non poſſent. Noſtra verò ætate, horum omnium, ſub ſole neq; umbram reperies. Adeò dies hæc, priſcæ il-

B 2 lius

(*f*) Si Jupiter Oratione uteretur, eum non aliter, quàm Platonis ore locuturum. *Cic: in B*[illegible].

(*g*) Quintil: Lib: 10. cap. 1. (*h*) I[illegible]atore,

(*i*) Plutarhus.

lius Oratorum gloriæ, Te præter ævi nostri Togatum Sagatumq; Nestorem, ignara, inops, jejuna est. Olim videlicet, olim de Promethei luto, ut homines fingebantur toti aurei, sic Oratores. Sed jam gleba hæc melioris venæ pridem exolevit: quantumcunq; nunc lutum exercueris, lutum erit. Non existimo tamen Tibi credibile videri effœtam usq; adeò matrem ingeniorum esse, ut nobilis Metalli minora quædam, parciùs interdum non projiciat semina: quæ solertiori curæ, cultioni, & arti commissa, Eloquentiam proferant saltem tolerabilem. In hunc sensum, credo, facilè descendis.

Cessavi nonnihil, & continui me, dum ille animum suum proderet. Et citò prodidit, dicens. Non admodum tibi contravenio, neq; assentiri vereor, tolerabiles inveniri posse novos istos, & adhuc musteos Oratores. Sed quid hoc confert ad laudem præclarissimæ Eloquentiæ? Quid illos juvat vel ornat talis appellatio? Egregium sanè mihi Oratorem, ùt tu asseris, vix tolerabilem.

Intuli ego. Eloquentiam, quæ id temporis prævalet, si tolerabilem esse libens admittis; Æmulam vel comparem esse necesse est, approbes illi seculo, quo Cicero floruit.

floruit. Ait enim ille. *Boni perdiu nulli, vix autem singulis ætatibus, singuli* TOLERABILES ORATORES *inveniuntur.* (*k*) Adeò jam tunc, melioris monetæ Oratorum sterile solum fuit. Quos verò ille tolerabiles Oratores intelligit? se nimirum, atq; alios non ex toto aureos, nec omnibus numeris absolutos, nec omnis censuræ vitiiq; immunes. Nam ex Tullii Fabiiq; Sententia, qui ad summam perfectionis in orando pervenerit, nulla usq; ætas vidit, nulla visura est. *Quos maximos adhuc novimus Oratores, nemo inventus est, in quo nihil aut desideretur, aut reprehendatur* ait Quintilianus (*l*) Cicero verò mirabundus contatur: *quid est, cur plures in aliis artibus, quàm in dicendo admirabiles exstitissent?* Admirabilem enim perhibet bonum quemlibet perfectumq; Oratorem. Sic autem concludit. *Nihil in hominum genere rarius perfecto Oratore in veniri potest. Quæ enim in aliis artibus vel mediocria singula probantur, ea nisi omnia summa sint in Oratore, probari non possunt.* (*m*) Sed quid tandem dat consilii? *Pulchrum honestumq; est, in secundis tertiisq; consistere.* (*n*) Ut enim nummorum partim æris, partim argen-

(*k*) in proæmio Dialogi. (*l*) Lib: 10 cap. 2. (*m*) Lib: 1. de Oratore. (*n*) in Oratore.

argenti, partim etiam nonnihil auri ſignati copia, benè cupiditatem permulcet; ſic oratio locupletiſſima incedit, quamvis non tota auro ſordida.

Si ergo Eloquentiam noſtri ſæculi non luteam neq; ferream, ſed æris argentiq; prædivitem, neq; auri penitus inopem oſtendero; ſi non falſam, non ſpuriam, ſed legitimè veram, veroq; Oratori apprimè convenientem, atq; adeò à rationibus Reipublicæ non alienam eſſe probavero. E diverſo, ſi artem dicendi, quam hac tempeſtate, Schola neſcio quæ, novam architectatur, falſam, malam, rei literariæ nihilo utilem, Reiq; publicæ neq; conducibilem, neq; conſentaneam eſſe coarguero; næ ego veſtris omnium ſuffragiis Civicam reportabo.

§ 3.

Suſceptionem meam jocabundus excepit alius convivarum, inferioris ſubſellii, ſed non mediocris notæ judicii, hæc effatus. Difficile onus aſſumpſiſti, non æquè ſuſtinendum. Vereor ego, ne tantus promiſſor efficias nihil. Centuriari poſſunt vitia, quibus laboratis Oratores novitii: quorum plauſtra ſi in te congeſſero, multitudine occi-

occiſus es. Interpoſui vocem. Dic, amabo, quæ majora crimina obſervâſti? Fortè enim criminationum talis connexio, talisq; conſenſio eſt, ut, ſi unam jugulavero, internecione caſuræ ſunt omnes reliquæ. Ille verò. Ut non te paulatim diſcruciem, inquit, effundo ſimul omnia. Genus Eloquentiæ, quod hac tempeſtate invaluit, imprimis novum eſt. Eſt præterea tumidum, obſcurum, affectatum, leve, vocularum luſibus & argutiis refertum. Talem tu Eloquentiæ faciem, vero Oratori, & Reipublicæ congruentem eſſe affirmabis? Tota Antiquitas, totus Cicero ab illa abhorruit. Retundo ſententiam. Abhorruiſſe Ciceronem dicis à tali genere Orationis? At mihi conſtitutum eſt, ut nihil in defenſionem meam eloquar, quin Tullius & Quintilianus mecum ſint: nihil in labefactandas accuſationes firmius adferam, quod iſtorum Rhetorum Præceptione, auctoritate, doctrinâ non apertiſſimè fulciatur. Ille ſuccuſſu capitis renutans, ait. Aliquis tibi ab Inferis excitandus erit, qui vadimonium adpromittat. Mihi enim tam incredibilia ſunt, quæ præſumis, ut autumem citiùs in hac manu ſetas mihi naſcituras, quàm tu Eloquentiæ tam vituperabili, ali-

quam

quam suffragationem, vel aliquam favoris auram à Cicerone retuleris. Ego verò certus sum, dico, præstaturum me id, quod assumpsi: quarè, timeo, ne alicui nascantur setæ. Interim non habet Illustrissimus Dominus plura quæ objiciat? Nam allegatæ reprehensiones parum inanes sunt, vix alicujus momenti instar obtinent. Reposuit. Plurima restant, sed his priùs fac satis.

Dixi: non est mihi laborandum, ut satisfaciam. Nihil enim novum adfertur, quod antiquitus, toto sæculo jam lapso, objectum dissolutumq; non fuerit. Centum annos nata est hæc accusatio: jamq; edito Vindicationum volumine, olim 1649. Anno, ab Eminentissimo Sfortia Pallavicino, Romanæ Purpuræ, atq; omnium scientiarum facilè Principe, refutata perspicuè, contrita, explosa, difflata est. Et hinc argumentum sumere licet: non degenerâsse à pristina dignitate, pretio, splendore, hodiernam Eloquentiam. Si enim in accipiendis cavillationibus, par est illi ævo, quo Perpinianus, Bencius, Stephonius, Strada, Petavius, Gallucius, Ferrarius, Causinus, Guinisius, atq; ipse Pallavicinus floruerunt Oratores; necesse est honore, excellentiâ, opibus,

opibus, non esse deteriorem. Insipida enim arbor à nullo carpitur: aurea poma floresq; conspicui, carptorem plurimum habent. Sed quoniam mihi provinciam respondendi imposuistis, partitione causam expedio.

Prima vitio datur Novitas. Dico: primas boni Oratoris partes esse, studere novitati. An enim ignoratis, primum Oratoris laborem esse, Inventionem? Inventio, actio utiq; inventoris est. Quos verò Inventores nominamus? Rei videlicet novæ commentatores, qui peculiari ingenii solertia, naturæq; felicitate præditi, novas quasdam Ideas mente concipiunt, cogitatione adinveniunt, committunt arti, perficiunt ac evulgant. Sic horariæ machinæ, pyrotechnicæ, opticæ, sexcentarumq; artium parentes, Inventores appellamus. Orator quilibet primò Inventor est. An ergo hoc nomine laudabitur, nisi novâ singulariq; inventiunculâ præpolleat? Jam si Inventoris virtus est, ut singularia, inexspectata, non obvia commoliatur, idem de constructione adinventi operis, idem de exornatione judicium esto. Nova enim & congrua respondere debent novis Ideis. Itaq; quilibet Orator novus erit.

Sed

Sed ut nervosiùs fortiùsq; concludam: dicite, quis est principalis labor Oratoris? quod officium? Respondebitis, ut moveat. Optimè: ita est. Quæ autem est illa Herculis Gallicani aurea catena, quæ movere, trahere, vincire valeat animos mortalium? Responsum dabit Cicero: est Novitas. Dicit enim. *Animus nullâ, nisi novâ aut admirabili re movetur.* (o) Jam igitur teneo vos: manibus pedibusq; in nervo obhæsistis. Etenim ineluctabile est, quod ex Antecedentibus infero. Novitatem illigatam esse cuilibet tolerabili Eloquentiæ.

§ 4.

Auditioni operabantur omnes, & postquam finivi, obticuerunt, respicientes se mutuò Consessores. Donec idem ille qui primus difficultatem velle mihi facessere, meq; aspernari visus est, vocem extulit. Inventionem, partem Oratoris esse, nullus ambigit: sed hæc in eo tota desudare debet, ut Principum Eloquentiæ normam, & Ideas, imitationi suæ præstituat. Ad quas, Inventione, dispositione, elocutione, qui proximè accesserit, Oratoris eximii nomen referet: qui ab his discesserit, ingenii delirratione insolens est. Hìc

(o) Tertio Rhetoricorum.

Hìc ego abrupto dicendi genere usus sum. *O Imitatores, servum pecus!* habebat in ore Horatius. An tales imitatores expetitis? quales perstringit Quintilianus. *Dum horridè atq; incompositè quidlibet illud frigidum atq; inane extulerunt, Antiquis pares se credunt.* (p) Quid magìs ad hominem accedit quàm simius? Quid verò in ipsa imitatione magìs deforme ac ridiculum est? Simius eximiè simium agit; sed tamen hominem æmulatur lepidissimè. Adeò, quæ naturâ discrepant, nulla parilitate conferri possunt. An verò vos aliquem hominem invenietis, cujus bona ingenii, dos, natura, & vis, à quibusvis aliis non distent? non discrepent? non dissentiant? Talem ergo, qui se ad alienum propositum effingere totum studuerit, neq; se ad suum genium accommodaverit, perfectum absolutumq; Oratorem fore creditis? Si nihil de indole animi sui præseferet Orator; simiolum vocabit Cicero. (q) Si vultu sermonis, se ipsum quasi penicillo elucubraverit; Orator novus erit. Mihi non creditis? Quintiliano fidem date. *Turpè est contentum esse id consequi, quod imiteris. Nihil crescit sola imitatione. Quidquid alteri simile est, minus est illo, ut umbra corpore, imago*

(p) Lib: 10. cap. 2. (q) Hic simiolus, me in quem inveheretur, delegerat. Cic: Epist. 96.

imago facie. Omnis imitatio ficta est; iis verò, quæ in exemplum assumimus, subest natura & vera vis. Cùm ergo Veteres, plurima in posteros tradiderint; à nobis cur nefas est reperire aliquid, quod antea non fuerit? An pictoribus illis similes erimus, qui solùm describere tabulas mensuris ac lineis sciunt. (r) Considerate obsecro, an Romanus ille Præceptor non eò collineat, quò Manilius Pòëta.

> Nostra loquar: nulli Vatum debebimus orsa:
> Nec furtum, sed opus veniet.
>
> *Astron. lib. 2.*

Non diffiteor ego imitationem commendatissimam ab omnibus Eloquentiæ Magistris esse, maximèq; inculcari, tanquam principale adjumentum, ad consequendam laudem boni Oratoris: verùm hæc imitatio, tale aliquid effingere in nobis debet, ad quod hortatrix est, nec præstat ipsa. Quid tale sit? prodidit Pòëta.

> Victurus genium debet habere liber.
>
> *Martialis.*

§ 5.

Allata mentione genii, consternatus quidam leviter literis tinctus, sciscitatur. Quos verò tu mihi genios adducis Elo-

(r) Lib: 10. cap: 2.

Eloquentiæ Præstites? Dic, boni an mali sint? Ego enim mali genii nec mentionem pati, sine exanimatione possum.

Leniter hominem arridens dixi. Si malus Orator es, malum genium habes. Quis verò sit bonus Oratoris genius, ex Quintiliano jam discere potuisti. Subest natura & vera vis iis, quæ in exemplum assumimus. Naturam dicit non eam, quâ omnis homo animal ratione præditum est: quæ animi sui sensa ingenuè explicare nata est. Sed dotes à natura concessas, habitudinemq; animi, cuivis singularem, & diversam in singulis. Ut enim cujusvis hominis oris ductus & conformatio singularis & nova est, diciturq; species; ita ingenii temperatio, fax, vigor, & forma, quæ cum illo nascitur ac interit, animæ quidam calor, sanguis, natura, vis, & genius est. Totidem ergo erunt formæ eloquii, quot hominum ingenia oriuntur & occidunt. Iterum fidem mihi abrogate, Ciceroni concedite. *Innumerabiles sunt dicendi formæ, specie dispares, genere laudabiles.* (s) Si innumerabiles? tot igitur novæ, quot ora consurgunt hominum & ingenia. Quintilianum etiam in suppetias voco. *Suos, plurima dictionis genera ut Auctores, sic amatores habent:*

(s) Lib: 3. de Oratore.

habent: ut, si speciem intueri velis, totidem ferè ingeniorum reperies, quot corporum formas. Et sicut Musici plurima varietate complent nervorum spatia; sic etiam plures Eloquentiæ sunt facies: & omnis (quæ modò recta est) habet usum. (t) Dum ergo vel non cognita Veteribus, vel non tractata dictionis argumenta, diversâ & novâ inventione, charactere, & modo, concinnant hodie nata ingenia, non propterea conclamatam esse credite facundiæ veteris excellentiam, quasi profligatam & procumbentem.

§ 6.

Extrema Fabii clausula, argumentum dedit cuidam ex Primoribus, qui capiti mensæ vicinior consederat, ut objiceret. Variis quidem dicendi formis uti potest Orator, concesserim: modò istæ omnes facies Eloquentiæ sint rectæ & non distortæ. Porro nova ista, quam laudas, facundia, non recta, sed distorta est. Ut enim minora vitia mittamus; nimis certè tumida est, obscura nimis, & affectata.

Vultu in venerationem summisso, responsionem, quadam specie præmunitionis, instruxi. Vide Illustrissime Domine, ne, quod

(t) Lib: 12. cap: 10.

quod tumidum existimas, magnificũ sit; quod affectatum putas, sit sublime: quod obscurum vocas, splendidum dici mereatur. Præcavet enim Plinius. *Opus est examine & librâ, incredibilia sint hæc & immania? an magnifica & cælestia?* (u) Vide etiam, quod genus Eloquentiæ hâc virgâ percutis? præcavet enim Fabius: *quod alibi magnificum, alibi tumidum est.* (x) Si de genere exornationis, seu demonstrativo sermo est, liceat mihi Fabium Patronum adoptare. Docet enim. *Illud genus ostentationi compositum, solam petit audientium voluptatem. Quarè, quidquid erit sententiis populare, verbis nitidum, translationibus magnificum, figuris jucundum, compositione elaboratum, velut quidam INSTITOR ELOQUENTIÆ intuendum pertractandumq; dabit Orator.* (y) Idem alibi. *Delectandi modus translationibus crebrior, sententiis amœnus, velut amnis quidam est, virentibus utrinque sylvis inumbratus.* (z) Amnem inumbratum, non apertæ nimis, nec satis vel clarescentis, vel deplanatæ dictionis opacitatem intelligat nec ne? non disputo, vos judicate. Affectationem, quæ satis Institoris nomine significatur, quæsitæq; magnificentiæ ancilla, ostentationis & pompæ soror est, prætereo. Istud urgeo: Quid est, quæso, tale, quod admo-

(u) Lib: 9. Epis: 26. (x) Lib: 8. cap: 3. (y) Ibidem. (z) Lib: 12. cap. 10.

admodum turgidam & insolentem reddit facundiam? An supra modum se tollens Oratio? utpote à natura simpliciter ac ingenuè se explicante difformis? Quid? non supra modum elatus est Marcus Tullius? exclamat Quintilianus. (*a*) Quantum verò præmium consecuta est illa Ciceronis supra modum ingens elatio? discamus à Fabio. *Non fortibus modò, sed fulgentibus armis prælìatus est in causa Cornelii, Cicero. Qui non assecutus esset tantum, usitatè, latinè, perspicuè, utiliter dicendo, ut Populus Romanus acclamatione & plausu admirationem confiteretur. Sublimitas, magnificentia, fulgor & auctoritas expressit illum fragorem. Rectèq; Cicero his ipsis ad Brutum verbis scripsit.* *Eloquentiam, Quæ Admirationem non habet, Nullam Judico.* (*b*)

Atq; hic est fructus præmiumq; & gloria tumidæ, inflatæ, affectatæ, ut vobis videtur; ut Quintiliano perplacet, admirabilis & magnificæ Eloquentiæ, quâ popularem acclamationem Tullius obtinuit. Altiùs hæc aliquid ab Oratore postulat, quàm usitatè, latinè, perspicuè, utiliter loqui. Ergo præclarius & nobilius aliquid, quàm vocibus verè latinis, clarè, non tumidè non obscurè, non leviter, non affectatè dicere.

(*a*) Lib: 12. cap: 10. (*b*) Lib: 8. cap: 3.

dicere. Altius, quàm ad quod significandum instituta sunt, nec aliud sonantia verba. Altius & luculentius aliquid, quàm tantùm Naturæ, animi sui sensa ingenuè explicare volentis propositum. Quid autem istud est tam excelsum, tam magnificum, tam augustum, tam Divinum, quod in Auditoribus admirationes, acclamationes, fragoremq; concioni elicit? Si non emendatissima minimeq; spuria latinitas; si non humillima depressæ dictionis planitudo; si non ad quotidianum naturalemq; loquendi usum linguæ accommodatio? Quid tandem aliud? Audite Tullium. *Motus animorum inflammare vel exstinguere, hoc unum in Oratione dominatur.* (*c*) Iterum audite Tullium. *Qui sensa mentis sic explicat, ut eos qui audiunt, quocunq; ipse incubuerit, possit impellere, hunc Deum, ut ita dicam, inter homines putant.* (*d*) Talem Eloquentiam quis non sublimes habere spiritus? quis non vehementem, non supra modum elatam esse dixerit? Quis verò hanc arrogantiæ, tumoris, inflationisq; prædamnaverit? & non potiùs magnificam, Divinam, & admirabilem suspexerit? Nimirum, quod alibi tumidum, alibi magnificum est. Quodsi in severioribus Rostris, admirabilis Eloquentia cum laude

C

(*c d*) De Oratore Lib: 1, & Lib: 3.

laude quæritur, neq; tumida eſt; quid in oſtentatione? ubi Inſtitoris Eloquentiæ partes agendæ ſunt, & omnes Ingenii & Artis opes expromendæ. Inſtitor certè, ſi nobiliores gemmas, ſi purpuram, ſi peregrinas raritates, ſi ſuperbas merces venum exponit, oſtentatq; ubi talium rerum curioſum & cupidum emptorem forumq; nanciſcitur; nemo illi oſtentationem vitio vertit: nemo turgeſcentis animi notam allinit. Sic Inſtitor Eloquentiæ, etſi totam Oratoriæ ſupellectilis gazam, in ornamenta ſermonis contulerit, cenſuram inviſi faſtus non incurret. Quod enim turget, & inane eſt, id verè tumidum vocamus; è contrario, quod auro, gemmis, gravibusq; cimeliis farcitum eſt, locupletatum, opulentum, & plenum rectè dices, non tumidum.

§ 7.

Dicere aggreſſus eſt peracutus quidam feſtiviq; ingenii, & quaſi alter in omni Oratione ſimulator Socrates. (*e*) Condonamus Tibi ulteriorem tumidæ eloquentiæ defenſionem. Iſtud explica. Obſcuritatem dici poſſe ſplendorem vis? Ænigma eſt, ſolve.

Obje-

(*e*) Cicero de Socrate L. 1. de Offic.

Objectum iſtud priuſquam retunderem, conjeci oculos in proſpicientia ex utroq; latere Aulæ conclavia. Horum quædam de ſe ſubobſcura erant: Quædam textilibus Flandricis veſtita, malignam nonniſi lucem admittebant. Tum ordior: Palatium iſtud in quo veſcimur, non ſumptuoſum eſt? non magnificum? non affabre feneſtris colluſtratum? Atqui ſecluſoria nonnulla opaciora continet, quædam penetralia pleniorem lucem averſantur, dubiam amant: hæc ipſa, quæ feneſtris impendent ſiparia, nonne aureo filo coruſcant? Sed ad ſubmovendos ſolis fulgores, umbramq; advocandam comparata ſunt. Ideóne de magnificentia, ſplendore, pulchritudineq; ſua, quidquam amittit auguſta hæc ædes? minimum. Idem de ſtructura orationis intelligite. Claritas equidem, primas in Oratore partes obtinet. Sed quòd una & altera ſententia, non protinus manu palpabilis occurrat; quòd interdum Metaphora perplexior, vel figura remotior; intertexuerit partem ſermonis, non illico noctes Atticas vobis fingite. Hæc enim ornamenta ſunt, non tenebræ. Refert ſiquidem ſcire, cui loquaris? vel quod genus dicendi aſſumis? Si non plebeias aures

 pulſat

pulſat oratio, ſed plurimâ ſcientiâ perpolitas; ſi in Oſtentatione verſatur; nihil de ſplendore orationis detrahent inſerta quædam ambiguè dicta. Quæ, licèt ſenſu reconditiora ſint, perceptioniq; non obvia; non iniquè tamen lumina Orationis vocantur, & plerumq; in ancipiti vim ſummam collocant. Confeſtim enim, eruditæ ſagacitatis adminiculo, perſpicua cognoſcuntur. Quis meridianum ſolis lumen obſcurum exiſtimat? nemo. Sed Aſioni atram caliginem incutit? verùm Aquilarum palpebras, inſatiabiliter paſcit. Caliginoſum ergo, falsò equidem, bubones & ululæ opinentur. Atq; talem ſermonis opacitatem, ab artificio Rhetorico Tullius non excluſit, cùm in Oratore, Eloquentiam picturæ comparat, quæ *alios horrida, inculta, abdita, & opaca: contra, alios nitida, læta, colluſtrata delectat,* (f) Neq; ad acuenda vibrantiora lumina, ſubterfugiebat haberi ſubobſcurus ipſe.

Quàm enim illuſtre eſt dictum illud in Piſonem jactum! ſed ſimul quàm ſenſu abſconditum? *Obrepſiſti ad honores, commendatione fumoſarum imaginum: quarum nihil habebas ſimile, præter colorem.* Quid iſto colore adumbrare voluit Orator? difficile captu eſt. Vel oris lineamenta, vel animi vul-

(f) Orator ad Brutum.

vultûsq; livorem, vel capitis Piſonii fumos, vel à majoribus degenerem morum obſcuritatem, vel ſcelerum tenebrionem; vel tandem quidquid dedecebat apertè dicere, voculâ unâ comprehendit. Si ſuſcipitis? majus aliquid adferam. Quid obſcurius eſſe poteſt Ænigmate? Adeò tamen non obtundit lumen Orationis, ut admirabilem fecerit ænigma Tullium. Dixit enim in Oratione pro Fonteio, in accuſatorem Pletorium. *Pletorius matrem habuit, quæ dum vixit, ludum aperuit: mortua magiſtros habuit.* Si quid intelligitis, Verba enucleate.

§ 8.

Urgere me cœperunt plures. Tu OEdipus eſto, tortuoſum hoc dictum enoda. Reſpondi. Non eſt Delius natator venter eſcæ inanis. Aſiaticam vobis, mihi Tantali cœnam indixiſtis. Si quid ex cibis ori admoveo; mox objecta quæſtione, pinguem bolum cogor relinquere. Oculis guloſus, palato aridus ſum. Fatigâſtis me ſatis. Jam ego provocationibus meis vos viciſſim fatigabo. Docete quæſo, quid adeò confragoſam reddit orationem? An troporum frequentia? metaphoræ ſplendidiores?

diores? figuræ & sententiæ vibrantiores? sensus sublimes? arguti? allegorici? pathetici? hyperbolici? an ingenii acumen & vis, supra vulgi Minervam porrectior? & ad dignitatem rerum exsurgens? At enim his coloribus destitutam orationem, licèt longè alius sit character forensis Rhetoricæ, Cicero *humilem & obscuram* appellat: *Trivialem* Suetonius: *depressam*, *obviam*, *& expositam* Plinius: *proletariam* Plautus: *planipedem* Quintilianus: *calcatam gregalemq;* Seneca. Concludite itaq; o Proceres, non Sphinge abstrusiorem posse dici eloquentiam, quæ pluribus gemmis translucida, pluribus corusca luminibus est. Sed potiùs, omnis magnificentiæ, sublimitatis, splendoris, concinnitudinis, lepôris, argutiæ, exsortem facundiam, fuerit licèt clarissima, obscuram vocari debere statuite: ut genus stemmatum inops, obscurum vocamus.

§ 9.

Perargutum Viri festivi, qui mecum dimicabat, ingenium, inducias & otium vescendi mihi concessit. Ut enim erat urbanitate limatus, atq; omni dicendi lepôre affluens, intulit sermonem themate percuriosum & amænum, eumq; plurimo Pöetarum sale temperavit. Ex Ovidio, Martiali,

si, Cochanovio, non parcè, nec timidè jocos spargebat: neq; deerat Oveni procacitas. Tandem paterâ meri plenâ, me poscit ad epotandum. Invitationi, quâ potui cunctatione, quâ modestiâ, restiti, dicens. Hanc triremem, Perillustris Domine, aliò verte: non enim didici tam portentosas Charybdes enavigare. Vestra hæc cymbia, scio esse naufragiis infamia: caveo tempestatem, cui sicco in littore, statio securissima est. Noluit ille mihi ultrà esse importunus, sed tali allocutione iterum me in aciem evocavit.

Paradoxum illud, de oratione, ex abstrusioribus etiam, neq; adeò perspicuis sensibus nobilius clarescente, ita dilucidè exposuisti, ut, si solem quem cernimus, non habere luminis formam velles asserere; sed ex Leucippi atq; Democriti obscurissimis atomis coaluisse; neq; aliud quidpiam radios solis esse, nisi subtilissimas umbrarum lineas, fluitantibus corpusculis micantes; extorqueres assensum approbationemq; cunctorum. Non satis tamen ab inflati styli superbia, vindicabis nostratis ævi facundiam, nisi ab omni Pöetarum commercio dissociaveris Oratores. Neq; enim negare potes, hodiernam Rhetoricen, personatam esse,

esse, atq; si dicere fas est, entheatam. Enthusiasmis & fictione ut plurimùm laborat, nescioq; cujus Pòëtici furoris insaniæ, non temerè insimulatur.

Retorsi telum in auctorem. Vestra Perillustris Domine, cultissima, quam audivimus, Oratio, solutæ dictionis characterem præseferebat: soluta certè, etiam ultra dignitatis limites discincta fuit. Adquid ergo tot Pòëtarum acumina in hanc irrepserunt? Fortè comitatis lepôrisq; gratiâ. Igitur lepos & comitas, à Pòëtis derivata, jam te Auctore, non devenustat Orationem. Sed entheum furoremq; objecisti. Quid? an tu fortè Ciceroni spiritum furoris Pòëtici appingere vis? Non appingam, respondit. Nam & tu nusquam ostendes furentem Ciceronem. Hoc dicis? inquam: non ostendam? Vis audire Pòëticè loquentem Oratorem? Cicero est in Catilinam furens: quem sic extemporali metro adstrictum recito.

Quò tandem nostrâ patientiâ abuteris usque?
Quò tuus iste furor, quò nos audacia ludet?
Quem sese in finem tanta effrenatio jactat?
Sica Patrûm, Catilina! Nihil percussa pavore
Te Plebes? nihil excubiis Palatia cauta?
Nil Urbis vigilata movet nox perpes in armis?
Nil horum ora Virûm? facies præstricta Senatûs,
Et facies munita loci? Simil-

Simillimè per omnia, in prosa oratione, vim fulminis coruscam cernere est. *Quousquè tandem abutere, Catilina, patientiâ nostrâ? Quamdiu nos furor iste tuus eludet? Quem in finem sese effrenata jactabit audacia? Nihilne te nocturnum præsidium Palatii? Nihil timor populi? nihil Urbis vigiliæ? nihil hic munitissimus habendi Senatûs locus? nihil horum ora vultusq; moverunt?* Sive ligatum, sive carmen solutum pensiculatè consideras, utrobiq; figuræ, verba, sensus, impetus & spiritus vehementior non Ciceronis est? & non Pòëticus? Hoc non agnoscis? Perillustris Domine. Parum refert. Sufficit mihi, quòd Plinius Novocomensis agnoverit. Multum ille animi Pòëticè inflammati in Arpinate; multum de Entheo in Cicerone pervidit, collaudavitq;. Cujus epiphonema, instar mihi Achillis est. *Quasi verò Marcus Tullius minùs Pòëtis audeat!* (g)

Hoc itaq; in comperto habe. Plurimas ligati sermonis gratias in Oratoribus, plurimas solutæ orationis virtutes in Pòëtis reperiri, & non inconcinnè misceri. Dicit enim Cicero. Finitimus est Oratori Pòëta: multis ornandi generibus socius, ac pænè par. (h) Idcirco nullo furore desipit

(g) ad Lupercum. (h) Lib: 1. de Oratore.

deſipit Orator, dum à Pòëtis egregiè tractatam aliquam theſim, vel ſententiam, vel metaphoram, vel figuram, vel emphaſim, vel periphraſim, in proſam vertit: aut non multùm abſimili à Pòëtis motu, per hypotyposim, dat non viventibus ſenſum, ſpiritum, vocem. Ita Cicero lapides animavit. *Parietes hujus Curiæ tibi gratias agere geſtiunt.* (i) Et virgis ac ſecuribus erubeſcentiam affinxit. *Conſulis indignitatem, Faſces erubeſcunt.* Ita Plinius in ingreſſu Trajani in Urbem, finxit: *laborare tecta: ægros quaſi ad ſalutem ſanitatemq; prorepere: alios ſatìs ſe vixiſſe, alios nunc magis eſſe vivendum prædicare: matres fæcunditatis voluptate geſtire.* Non Ovidium ſolutum loqui putas? Quodſi Quintilianum in meas partes accerſivero? triumphum mihi cedes, tuaq; manu lauream capiti impones. Dicit is. *In movendo Orator, & defunctos excitabit, & Patria exclamabit: aliquemq; alloquetur, & vi Superlationum ſe eriget: & Deos ipſos in congreſſum ſuum ſermonemq; deducet.* (k) Cunctaq; hæc exemplis Ciceronis illuſtrat. Non idem faciunt afflati Entheo Pòëtæ?

Parum eſt quod attuli. Majora audet, majora proſequitur Quintilianus. Poetas

(i) Pro Marcello. (k) Lib: 12. cap: 10.

[illegible] Oratorum Principes exſtitiſſe: Oratores verò Pòëtarum ſpiritu imbutos & quaſi animatos eſſe debere demonſtrat. Quid enim de Homero judicat? *Homerus omnibus Eloquentiæ partibus exemplum & ortum dedit: copiâ mirabilis, oratoria virtute eminentiſſimus.* Quid verò de Platonis proſa Oratione? *Quis dubitet Platonem eſſe Eloquendi facultate Divina quadam & Homerica præcipuum? ut mihi videatur non hominis ingenio, ſed quodam Delphico Oraculo inſtinctus.* (l) Quid ſentit de Demoſthene? *Demoſthenes nonne omnes ſublimitate, vi, & impetu ſuperavit? Non inſurgit locis? non translationibus nitet? Non oratione ficta dat carentibus vocem? ſatisq; manifeſtò docet Præceptorem ſuum Platonem fuiſſe, plerumq; inſtinctis Divino ſpiritu Vatibus comparandum.* (m) Quid tandem de Hiſtoricis ſtatuit? *Hiſtoria quodam molli jucundoq; ſucco proxima Pòëtis & quodammodo Carmen ſolutum eſt. Ad ingenii famam componitur: ideoq; & verbis liberioribus, & remotioribus figuris tædium evitat.* (n)

Cùm ergo totius ſolutæ Eloquentiæ partes omnes, Pòëtis exemplum & ortum debeant; cùm nobiliſſimi antiquæ Eloquentiæ Principes Plato & Demoſthenes ideo tales

(l) Lib: 10 cap. 1. (m) Lib: 12. cap. 10.
(n) Lib: 10. cap. 1.

tales prædicantur, quòd Divino spiritu af-flatis Vatibus comparari meruerint; quod tandem infandum ſcelus erit, ſi Orator in obſervatione Pòëtarum ſagaciſſimus, illorum ſingularia decora, motus, affectus, ſplendorem ſublimitatemq; in ſuum colorem traxerit, conſimiliq; quaſi ſpiritu imbuerit ſermonem? Iſtud verò eſt, quòd Idem Romanus Præceptor ſuadet: plurimum conferre Oratoribus, Pòëtarum lectionem. *Ab his enim & in rebus ſpiritus, & in affectibus omnis motus, & in verbis ſublimitas, & in perſona decor petitur & attrita ingenia optimè talium rerum blanditiâ reparantur. Forenſibusq; exercitatos reficit hæc velut ſagina dicendi.* (o) Quî reficiat? cùm ex tali ſagina, ſi aliquantulum Orator in ſuum ſanguinem converterit, ſubito furore capitis agitabitur? Non furor eſt; ſed decor & vigor: ſed ſpiritus, ſed ſublimitas, ſed rectè cogitata energia, quam Oratores trahunt ex Pòëtis, & Orationis torno, affabrè tanquam gemmas inſerunt.

§ 10.

Quintiliani auctoritati interceſſit quidam mento ſylveſcente ac intonſo hiſpidus,

(o) Lib. 10. cap. 1. & 5.

dus, vultuoſus, & quaſi unus ex ſecta Stoicorum, Vir multæ, ut ferebatur, lectionis, multæ literaturæ. Quid tu Fabium Quintilianum tantopere jactas? Deteriore ſeculo ille emerſit: multùm jam à priſtino ſuo ſplendore, in pravum & obſcurum tumorem declinante eloquentia: nos verò ad ætatis aureæ limpidiſſimos fontes appellamus.

Pugnavi ego pro Fabio. Fabius, qui ſub Domitiano floruit, tibi non ſapit? qui primus omnium, ludum Eloquentiæ Romæ aperuit? cui primo grande ex ærario publico Minerval, Cæſarisq; Nepotum inſtitutio attributa eſt: ex cujus diſciplina clariſſimus ille Oratorum Plinius Secundus prodiit? Qui in Rhetoricis Tullio per omnia conſentit, & veſtigia ſemper adorat. Quid à me requiritis plus Domini mei. Fortè ut ego mortuum Ciceronem ab Inferis evocatum, huc in Veſtrûm omnium conſpectum adducam? Faciam id animo libentiſſimo, quod Rhetoribus nec inuſitatum, nec factu difficile eſt. Concedite forum: conſurgit, properat, venit. Dic nobis Marce Tulli, quid tu de prodigioſa virtute Oratorum, olim ad Trebatium, Libello conſignâſti? Ore favete omnes! Ipſe dicit.

Oratoribus concessum est, ut muta etiam loquantur: ut mortui ab Inferis excitentur: ut aliquid, quod fieri nullo modo possit, augendæ vel minuendæ rei gratiâ dicatur. Et multa mirabilia alia. (p)

Dixisti satis, maxime ac optime Parens Oratorum. Jam abscede. Abiit, facessiit. Agite nunc Viri Doctissimi: pensitate verba; atq; vel hoc unum benè notate. ET MULTA MIRABILIA ALIA. Et jam Entheum Oratoribus in magnis criminibus objectate.

§ 11.

Nondum ad calcem venerat dictio mea, Cursor armillatus apparuit: fascemq; Epistolarum bene magnum apportans coram hospitalissimo Rege convivii, jecit in mensam. Auditiones quasdam variosq; rumores continebant literæ. Narrabatur de Augustissimi Cæsaris Sacratissima Majestate, de Rege Christianissimo, Catholicissimo. Legebantur compellationes honorificæ: Eminentia Sua, Sua Celsitudo, Illustrissima Dominatio. Nescio cui, vel cujus nominis, imi subsellii Viro, displicuit talis verborum

(p) In Topicis ad Trebatium.

borum usurpatio, tanquam antiquo sæculo ignorabilis & insolens. Clamavit eliminanda esse adventitia hæc novæ Latinitatis inquinamenta. In deferendis honoribus, jurandum esse in verba Ciceronis: si vales, bene est, ego quidem valeo. Nullus hospitum responso dignatus est hominem, nec verbo quidem. Ego verò. Vides Domine, omnes istos tantæ sapientiæ Viros habere tibi consentientes, nec ego refragor. Sed si tantum religionis antiquo mori tribuis, auctor sum, ut cum officii causâ Magnates literâ vel corâm conveneris, ita scribas, ita loquare. *Ego REVERENTIÆ VESTRÆ sic semper inserviam, non ut me Consulem, sed ut Candidatum Consulatûs putem.* (q) Tanquam enim redivivum Plinium amplexabitur te ætas nostra; sic enim ille ad Trajanum Cæsarem peroravit. Vix loqui desii, ita magnus risus consecutus est, acsi Sardoam herbam edissent omnes. Ille verò quasi Bacchi Sacerdos, assâ squillâ rubicundior constitit.

§ 12.

Relatio rerum per Europam recentissimè gestarum, curiosas omnium aures

(q) Plin: ad Trajan. in Epilogo.

res diu ſuſpenſas habuit. Sed nihil magìs in ſtuporem vertit cunctos, quàm audire de rebus Poloniæ, non modò arcaniſſima quæque & nemini comperta, ſed etiam quæ nec in opinionis metum cuiquam venire poterant, ab Extraneis perſcribi divulgariq; toto Cælo à nobis diſſitis: quaſi illi Patriæ noſtræ conſultiſſimi Cives eſſent, & Cives Patriæ, domi peregrini. Iſtis ego minimè intendebam, reputabamq; me omni periclitatione jam perfunctum eſſe. Cùm unus ex Magnatibus, limatiſſimi Vir judicii, his me adorſus eſt.

Tu fortè jam receptui canis, lauroſq; & triumphos meditaris. Sed nondum prælia cecidêre. Et ſi aliqua fortè ſpes pacificationis illuceat, tu nunquam tutam tibi pacem futuram crede. Si deſint alii, me tibi adverſantem habes. Quidquid hactenus reſpondiſti, ingenioſa ſunt & fortia. Sed tantam in hyperbolicis adulationibus, potiùs verò mendaciis licentiam, quis veſtræ eloquentiæ laudi tribuat? Hyperbolen debere eſſe magnificam, non pernego. Nunquam tamen à proprietate ſermonis & veritate deviam. Vos verò non modò à proprietate ſermonis, omniq; veritate, ſed etiam à regula rectæ ſapientiſq; cogitationis, in tranſverſum agi, & abripi in ſuperlationibus, tam clarum eſt, ut nullum excuſationis modum ſubeſſe reputem.

Dignitatem Perſonæ præeminentis reveritus, ita præfatus ſum. Qualem Socratem Platonemq; Græcia, Craſſum & Catonem Roma; talem te in Senatu habet Polonia: dicendi videlicet gravitate, & acumine judicii, longè eminentiſſimum. Ut, ſi Tullius pro Domo ſua rem iterum agere vellet; te non alium cauſæ arbitrum ſibi depoſceret, deligeretq;. Illum proinde Judicio tuo ſiſtam. Sed priùs accuſandus eſt mihi Seneca, qui Ciceronem ſuperlationibus exſultantem, in Cælum extulit dicens. *Illud ingenium, quod ſolum Populus Romanus par Imperio habuit.* Quid, ſi hæc audiviſſet Julius Cæſar? an vaginâ ferrum tenuiſſet? Qui nullum ſibi in quavis gloriæ arena vel parem, vel priorem ferre potuit, non bellum Civile iterum moviſſet, pro rapiendo Eloquentiæ Principatu? Hunc certè honorem, cùm ipſe Cicero libro 3tio de Oratore, Cæſari deferre videtur; tum Fabius Quintilianus. *Tanta in eo vis, id acumen, tanta concitatio, ut illum eodem animo dixiſſe, quo bellavit, appareat.* *Nec alius contra Ciceronem nomi-*

nominaretur. (*r*) Venit in partem criminis Plinius Orator, qui Trajanum Imperatorem, *Optimis meliorem,* quod nunquam possibile est, appellavit. Jam Consul ipse Romanus aurem postulat. Quantùm ille bellicam Pompeii virtutem, tanquam *Divinam & Incredibilem*, supra mortalium omnium immortalia gesta, supra Heroum omnium magnitudinem collatavit! *Res gestæ Pompeii, iisdem, quibus solis cursus, terminis continentur.* (*s*) Jam nihil restat, nisi, ut tandem in cælum saliat Pompeius, atq; immensum illum astrorum orbem, triumphali curru, cum sole permetiatur. Etiam hoc attribuisse illi videtur Cicero, cùm asserit. *Fines Imperii, non terræ, sed Cæli regionibus terminavit.* (*t*) Jam in Oratione pro lege Manilia. *Unus est*, ait, *Cn: Pompeius, qui non modò eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam; sed etiam Antiquitatis memoriam, Virtute superavit. Qui extremâ pueritiâ miles fuit: ineunte adolescentia, maximi ipse exercitûs Imperator, sæpiùs cum hoste conflixit, quàm quisquam cum inimico certavit: plura bella gessit, quàm cæteri legerunt: plures Provincias confecit, quàm alii concupiverunt. Cujus adolescentia, non alienis imperiis, sed suis præceptis: non offensionibus belli,*

(*r*) Lib: 10. cap. 1. (*s*) 4ta in Catil:
(*t*) Item in Catil.

belli, sed victoriis; non stipendiis, sed triumphis deducta. Quid est, quod quisquam aut dignum illo, aut vobis novum, aut cuiquam inauditum possit afferre? Labor in negotiis, fortitudo in periculis, celeritas in conficiendo, consilium in providendo, tanta sunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis Imperatoribus, quos aut vidimus, aut audivimus, non fuerunt.

Nihil ergo sunt Scipiones, nihil Paulus Æmilius, nihil Marcellus, qui primus Annibalem vinci posse docuit, nihil Fabius Maximus, qui eundem cunctando vicit, nihil alter Urbis Parens Camillus, *Romamq; Camillus servando posuit.* (*u*) Nihil deniq; ab orbe condito, triumphatores omnes. Tullii præconio, omnem illorum gloriam, in pulverem redegit Pompeius. Prodeat nunc nescio quis Cato Censorius, atq; aculeatum suum ohe despumet. Ohe! Marce Tulli, quò tuus te rapit Entheus?

Quantùm verò assentari videtur Cæsari? *Domuisti Gentes, multitudine innumerabiles, locis infinitas.* (*v*) Quid loquitur? Hoccine cogitare Oratore dignum est? Hoc non Hyperbolen, sed meram adulationem sapit: hoc mera falsitas est. Non habes, Marce Tulli, si Criticorum nationi fides sit, non habes rectas sapientesq; considera-

 tio-

(*u*) Manilius Poëta. (*v*) Pro M. Marcello.

tiones, ne imprudens impingas. Impegisti. Nunquid enim omnes populos, quos universæ terræ globus continet, subegit Julius Cæsar? falsissimum est. Sed nondum etiam omnes gentes effundunt se locis infinitis. An quidquid spatii & numeri imaginatione comprehendere possumus, occupavit victor? A tali confictione abhorrebit non hominis tantùm, sed Universi natura. Ut mittam Capuani Præsidis illud *non supercilium, sed pignus Reipublicæ: tantam illam gravitatem in oculo, tantam frontis contractionem, ut illo supercilio, Respublica, tanquam Atlante cælum niti videretur.* (x) Contra Verrem, quæso audite insurgentem Tullium. *Hic dolor tantus erat, ut Verres, alter Orcus venisse Ennam, & non Proserpinam asportâsse, sed ipsam Cererem abripuisse crederetur. Versabatur in Sicilia alter non Dionysius ille, non Phalaris, sed novum quoddam monstrum, ex veteri illa immanitate conflatum. Non enim charybdim, neq; scyllam tam infestam, quàm istam in eodem freto fuisse arbitror, qui multò se pluribus & majoribus canibus succinxerat. Cyclops alter multò importunior.* Item. *Qui viderent Verrem, Equum Trojanum esse dicerent.*

Ex

(x) Pro Roscio.

Ex omnibus Siciliæ Adjunctis, combinationem circumstantiarum vocant, conflata est ista hyperbole. Quidquid enim fabulæ, quidquid Historiæ de Sicilia memorant, in depingendam Verris immanitatem contulit Orator. Dionysium, Phalarim, Scyllam, Charybdim, Cyclopes, Plutonem, Cererem, Proserpinam, Orcum, & insuper Equum Trojanum. Enceladum duntaxat & Briaræum, Ætnæ suppositos, oblivione captus, memorare prætermisit. Hunc ergo Romanæ Parentem Eloquentiæ, à proprietate veritateq; sermonis, à rectæ sapientisq; cogitationis regulâ excidisse judicabis? Non ita te ad summam sapientiæ limam perfecta provexit eruditio, ut hæc non penetres. Ego, per tuam indulgentiam, manifestissimum facere volo: in his similibusq; Oratorum hyperbolicis exaggerationibus, ne latum quidem unguem à veritate proprietateq; sermonis, atq; adeò nec à recta sapientiq; cogitatione desciscere Eloquentiam.

Et primò quidem, si Naturæ, ingenuè animi sensa explicare volenti, respondet obtemperatq; elocutio, quis eam à rectitudine proprietateq; sermonis censebit delirâsse? Atqui in omni verbi vel senten-

 tiæ

tiæ mutatione, ſed maximè hyperbolica, ita rem eſſe, ut ſe natura ipſa pandere ac enucleare velle videatur, docere nos, non dico artis Oratoriæ præceptiones, ſed illiteratæ quoq; plebis villatica turba poteſt. Non ſatagunt rudes illi magnificè loqui, nec didicerunt: frequenter tamen, neq; ſentientes, vel metaphoras promunt, ut gemmare vites, ſalire in herbam lætas ſegetes; vel ſi quid inſolitum aut numero, aut magnitudine, aut raritate mirabile, viva expreſſione ſignificare volunt, tantis incrementis rem elevant, ut oratoriæ ſuperlationis ambitionem ſuperare videantur. Quo id præceptore? quo magiſtro? Naturæ, ingenuè ſua ſenſa explicare volentis ductu & ingenio. *A natura eſt, omnibus augendi res, vel minuendi cupiditas inſita. Nec quisquam vero contentus eſt*, inquit Fabius. (z) Id eſt. Niſi explicationem animi ſententiæ, ultra fidem auxeris; fidem dictis ægrè obtinendam, perſuadere tibi non poteris. Quod ergo naturæ impulſu, ad expingendos, quos de re objecta formamus, genuinos animi ſenſus, ruſticum tyrocinium perdidicit; id ſi in artificium laudis vel vituperii, Orator adhibuerit, à recta ſapientiq; cogitatione toto cælo exerrabit? *Si indocta*

(z) Lib: 8. cap. 6.

indocta conſvetudo tam eſt artifex; quid ab ipſa tandem Arte poſtulari putamus? exclamat Cicero. (a)

Sed ex Fabii doctrina, rem luculentiùs pono ſub oculos. *Non quidquid non erit proprium, protinus improprii vitio laborabit. Nam Translatio, in qua vel maximus eſt Orationis ornatus, verba non ſuis rebus accommodat. Quarè, proprietas non ad nomen, ſed ad vim ſignificandi refertur: nec auditu, ſed intellectu percipienda eſt*: ait. (b) Habes Procerum Sagaciſſime Arbiter, & proprietatem, & veritatem ſermonis hyperbolici. Nam ſicut in omni verbi vel ſententiæ translatione, impropriè loquimur, propriè intelligimur, ſic in ſuperlatione. Et ſicut in omni Tropo, non quod verba in aures perferunt, quod colorem quendam falſitatis exhibet, ut, cùm prata ridere dicimus; hoc in animi perceptionem obtruditur; ſed quod ad vim ſignificandi refertur, iſtud intellectu apprehendimus, veriſſimumq; agnoſcimus; ita & in ementiente ſuperjectione. Species enim Translationis, hyperbole eſt. Vel ergo omnes Translationes, ex eo, quòd aliud verbis, aliud ſenſu & ſignificatione ingerunt, neceſſe eſt falſitatis coarguas; vel ſi nullas, neq; hyperbolen: quæ à natu-

(a) ad M. Brutum. (b) L. 8. Cap. 2.

à natura, ad hoc inventa est, ut alicujus rei, quæ dici satìs quanta est, non potest, ex magnitudine superlationum, elucescat recta mensura, imago magnifica, compar emphasis, condigna significatio, pathetica comparatio. Non enim auditu, quidquid verba præferunt & sonant, sed intellectu, quid ratio taxat & colligit, percipienda est Translatarum sententiarum proprietas.

Rationibus productis, comprobator accessit, idem ille judicio eruditissimus Vir, qui priùs provocator exstiterat: omnibusq; à me dictis & conclusis, adjecit calculum suum. Rectè pro domo tua, in re admodum difficili & ambigua peroràsti: Nec ego à te dissentio. Inductione enim tam perspicua, victum me nec invitum habes. Memini enim dixisse Ciceronem. *Parium comparatio, nec elationem habet, nec summissionem.* (c) Et ex Quintiliano jam olim ab adolescentia, benè memoriæ insculptum teneo. *Mentiri Hyperbolen: sed non ita, ut mendacio fallere. Conceditur enim, cùm res excedit modum, ampliùs dicere, quia dici quantum est, non potest: meliusq; ultrà, quàm citrà stat Oratio. Et ignoscitur, quia non affirmamus.* (d) Id est, non quod verba adstruunt, designamus; sed aliud, magnum tamen, & insolens aliquid. Et tu Ciceronem, ab Inferis evocatum, non pridem induxisti. *Oratori concessum esse, ut aliquid, quod fieri nullò modo possit, augendæ vel minuendæ rei gratiâ dicatur.* Hoc uno ictu, Cicero, omnium capita reprehensorum, unà cum lingvis amputavit.

(c) in Topici. (d) Lib: 8. cap. 6.

§ 13.

Epularis accubationis lex postulat, ut Conditor cœnæ, sumpto majore poculo, pro salute Primarii Convivarum, scyphum præbibat: singulos deinde ex ordine poscit & provocat. Bibitur pro salute Regis, Reipublicæ, Senatûs, Ducum, Procerum, Amicorum. Talis dum ferveret propinatio, dum unusquisq; faustas in acclamationes prorumpit, annosq; precatur, quot sumit cyathos; apparuit mira ingeniorum facundiæq; cùm diversitas, tum copia. Nemo erat non disertus: nemo sine perarguto acumine: rarus, cujus orationis filum, non aliqua festiva urbanitate coloraretur. In gratificationibus votisq; fundendis, alii ex notatione nominis, ex honorum Insignibus, alii ex circumstantiis Personæ, loci, temporis, tam rotundè, subti-

ſubtili Atticiſmo compſerunt ora faventia; ut ne Athenas quidem ipſas magìs Atticas fuiſſe crederes. Tam ſcitè conditum & acre fundebant orationis nectar; ut mel Hymettium diceres. Paronomaſiæ, contraria, contrapoſita, ſimiliter cadentia, ductæ ex verborum conflictu argutiæ, ex gentilitiis ſcutis & ſtemmatibus allegoriæ, acuebant ſententiarum vibrans lumen, loquendi concinnitatem mirè commendabant. Inde orta quæſtio eſt: deceretne Oratorem talis dicendi character? Habuit inimicos, habuit & Patronos, peringenioſæ amænitas eloquentiæ. Nonnulli levitatis, ac vix non inſipientiæ damnabant ejuſmodi ſubtilitates, allegorias, flores, ac lepôres oratorios. Alii verò tales ſententiarum delicias, ad excellentiorem comitatis eloquii gratiam referebant. Litigantium opinionum pugnam ut dirimerem, utraq; pars ad me detulit. Dic, ajebant, quid ſentis? qui omnes facundiæ labes excuſare, vel palpare promptus es.

Vultu ad deliberationem nonnihil ſuſpenſo, digitum intendi ad menſam opiparè inſtructam. Iſta fercula, non ſolidum præbent corporibus nutrimentum? inquam. Immo ſalubre & robuſtum. Non præberent

berent verò æquale, miſſis tot lautitiis, tot cupediis, tot jucundis condimentis? Præberent certò. Quò ergo pertinent inſperſi dapibus odores aromatici? quò dulciaria? quò mellibus incocti flores? quò turricula iſtæ ſaccaris oneratæ? quò deniq; coronati roſis calices? Ad ſenſuum blandimenta, ad oblectamentum gulæ, inſtructa pompa eſt. His ergo illecebris delibuta cæna ſapit? ſimili verò quaſi pabulo tincta oratio deſipiet? Quid verò aliud ſunt ſenſus allegorici, ex Inſignibus Proſapiarum, Dignitatum, variisq; ut Fabius vocat, circumſtantiis deſumpti? niſi quædam dictionis quæſitæ gratiæ, quibus ſermo orbatus, naturæ accommodatione ſubinſulſus, tanquam obſcurus & abjectus, humi reptaret. Tranſlationum venuſtate condîtus, attollitur, acuitur, & jucunda quadam movet ſenſum dulcitudine. Tales vos ſermonis elegantias, adunca nare ſuſpendetis? At enim à Cicerone incredibilem ac mirificam laudem referunt. Non pigeat præbere aurem ipſi Magiſtro Tullio docenti.

Omnes translatis & alienis verbis multò magìs delectantur, quàm propriis. Vel, quod ingenii quoddam ſpecimen eſt, tran-

transsilire ante pedes posita, & alia longè repetita sumere; vel, quod omnis translatio ad sensus admovetur, & penè in conspectu animi ponit ea, quæ cernere non possumus; Vel, quod propter similitudinem transfert, movet, ac refert animos, & is qui audit, alio ducitur cogitatione, neq; tamen aberrat: quæ maxima est delectatio. (d)

Probantur vobis, ex ore Tullii depromptæ, pro metaphoricis sensibus, argutissimæ rationes? Credo, & auditæ, quadam vos animi voluptate permulcent. Hæ sunt, quæ præstantissimos quosq; demonstrativi præsertim generis, Eloquentiæ Architectos docent, & incitant ad ejusmodi crebrò arripiendos alludendi modos, ut aliud verbis depingere videantur, & ad aliud latenter referre sententias.

Parcetis mihi, Viri Excellentissimi, si à constituta benè subacti animi moderatione, hìc nonnihil excidero. Tam enim audax, tam infrunita quosdam bellulos derisores invasit procacitas; tam petulans quibusdiam eruditulis literatoribus insedit circulatoria jactatio; ut, quò veram Eloquentiæ

(d) Lib: 3tio de Oratore:

tiæ Nobilitatem, plebeiæ simplicitati subjiciant; quidquid non humili ingenio laboratum enituit, neq; parabile, nec de trivio est; nihil suo naso non mordeant: illiberalibus sibilis nihil non consciſſum relinquant. Quarè, temperare mihi nequeo, quin exclamem. Habeo tibi gratias Marce Tulli. Vindicâsti ab indignissimis Theonini dentis injuriis, vindicâsti jam secundò, Regios quoslibet & egregios nostri seculi Oratores. Hìc approbo, hìc extollo tuum illud judicatum, quo incomptæ, proletariæ, defloratæ Scholam facundiæ percussisti: quo inconcinnis Oratoribus, atram in perpetuum inussisti notam. *Hæresis est, quæ nullum sequitur florem Orationis.* (e)

§ 14.

Intercepit sermonem meum, ex discumbentibus unus, nondum quidem celsiore dignitatis gradu, sed admirabili oris facundia, cæterisq; animi & fortunæ ornamentis distinctus. Allegoricos sensus, ait, quibus Ciceronem patronum adjunxisti, non damno: sive tales translationes, ad res quæ personam circumstant, alludunt; sive aliunde

(e) In Paradoxis de Catone.

de petitis similitudinibus variant orationem. Sed illas ex mero verborum conflictu ductas argutiolas, illas similium, vel secum pugnantium vocum commissiones, quis sapiens nedum approbare, sed vel pati possit? Perquam leves & pueriles sunt: minimèq; decere, quin potiùs inquinare virilem eloquentiam.

Aspersam Eloquentiæ Nostræ hanc labeculam, Figurâ Concessionis, delevi ad mundum. Perillustris Domine. Ut uno verbo complectar omnia, Annominationes & antitheta, ex Rostris præcipitare vis. Facite me non invito: configite, proscribite, eradite tales argutias, tanquam perridiculas: subscribo, assentior, approbo. Totus abeo in vestram sententiam, si non toto Antiquitatis robore vos confregero. Annominatio, Paronomasia est. Quid de illa enuntiat Cicero? *Ex ambiguo dicta, vel argutissima putantur.* (*f*) Quid Aristoteles? *Translationes maximè probantur, cùm per æquivocationem nomen effertur.* Quid de antithetis? *Est hujusmodi svavis dictio: quoniam contraria patent apertè, multò magìs, cùm ad se brevì referuntur.* (*g*) Quid de argutiis? *Quia nova placent, ideo sententiæ, quæ præter opinionem desinunt, delectant.* (*h*) Quid

(*f*) Lib: 2do de Oratore. (*g*) Rhetorico: Lib: 3. cap. 11. (*h*) Rhetorico: Lib. 2di cap. 2do.

Quid de admirabili Eloquentia? *Inusitatiora sunt adhibenda, hæc enim maximè admiramur, admirabile autem jucundum.* (*i*)

Sed luculentiorem Antiquitatis testem habeo Quintilianum. *Magnæ Veteribus curæ fuit, gratiam dicendi è paribus, contrariisq; acquirere. Gorgias & Isocrates in hoc immodici: delectatus est his Marcus Tullius, & modum adhibuit non ingratæ voluptati.* (*k*) Jam igitur Tullii delectationes nonnihil degustate. Scribit ad Atticum. *Fuerunt, quos fames magis, quàm fama commoverit.* Scribit ad Curium, de Caninio septem horarum Consule. *Scito, Caninio Consule, neminem prandisse. Nihil tamen eo Consule mali factum est: fuit enim mirificâ vigilantiâ, qui, suo toto Consulatu, somnum non viderit.* Ludit in verbo. *Olim Flamines, nunc Consules sunt Diales.* Dicit in Pisonem nudum saltatorem. *Ne tum quidem, cùm illum saltatorium versaret orbem, fortunæ rotam pertimescebat.* Dicit contra Chæream. *Idcirco capite semper est raso, ne ullum pilum boni viri habere videatur.* Dicit contra Antonium. *En, cur Magister ejus, ex Oratore, arator factus est.* Et in Isauricum vitiligine maculosum. *Miror, quòd Pater tuus, homo constantissimus, te nobis varium reliquit.* Jam

Ver-

(*i*) Ibidem. (*k*) Lib: 9. cap. 8.

Verrem Siciliæ Prætorem, quàm acuto veru percutit & versat? Nunc jus Verrinum exagitat: nunc interlita cognominis extrema torquet dicens: caudam illam Verris, tanquam in luto, esse demersam in litura: nunc festa Verrea derivat à verrendo, futurumq; dicit, ut Verres omnia verreret: mox Herculi, cujus fanum Verres expilaverat, Apro Erymanthio molestiorem fuisse asserit. Tandem Cajum, cognominatione gentili Sacerdotem, exsecratur, eò quòd successorem tam nequam Verrem reliquisset Siciliæ, neq; sacrificâsset.

Cùm ergo vel in Ausonio legitis, Consulatus Domitiani *fastidiorum non fastorum nomine memorandos*; vel in recentioribus. *Multis calamitatem struxit calamus; multos calamitate eripuit. Plerumq; fame pereunt, qui famæ captandæ inhiant. Mulier melle mollior, terræ naufragium, non virago, sed vorago. Vir acutus in pessimis, obtusus in optimis; nec tam pernici, quàm pernicioso ingenio:* & sexcenta similia, non pueriles, sed Tulliani ingenii sales credite, qui non magìs Eloquentiæ, quàm argutiarum Princeps est. Quodsi miniatulam ceram interdum nec satìs vitant, nec effugiunt quæsitiores argutiæ? abstergit hanc etiam notam, & à crimine absolvit Cicero dicens: *Impetratum est à consvetudine, ut peccare, svavitatis causâ, liceat Oratori.* (*l*)

§ 15.

Videbar mihi satìs quidem cumulatè, arguta ingenia, à vituperationibus eripuisse. Verùm morosæ Senectutis præjudicatio, difficilis & durior est. Si vel Svadæ medulla sis, de sententia non dejicies. Non persvadebis, ne si persvaseris quidem. Ita mihi evenit. Quædam enim non provectæ modò, sed & confectæ ætatis persona, non minùs annis, quàm canis obsita, contra me intercessit, taliaq; cum anhela tussi, extrusit verba. Ego verò has vestras facetias, insipidis salibus perlepidas ut approbem, nunquam inducar. Criminosæ sunt, inutiles, à vera eloquentia alienæ, interdicto mulctandæ tales argutiolæ, ne diutiùs Rempublicam inficiant.

Senii Dignitati, honorem reverenter deferens, dixi. Optimè senescentium politiorum literarum bono consultum iturus es, Vir Splendidissime. Age, omnem è Scholis, Eloquentiæ florem, edicto submove; protinus

(*l*) ad M. Brutum.

tinus enim amæniora ſtudia matureſcent, immo ſeneſcent procul dubio. Supplici tantùm libello, artes ingenuæ hoc à te poſtulant, ut, priuſquam in ſanguinariam cenſuram deſcendes, Conſulem Romanum adoptes in Collegam. Si quid ille atro calculo prædamnabit, ſubſcribes. Si quid ſecundùm amæniora ingenia, pro argutiis decernet, tota mente & voce cum illo conſenties. Et jam neq; rogatus, dicit ſententiam Cicero. *Effugere ſi velim acutè aut facetè dictorum offenſionem, omnis ingenii mihi fama abjicienda eſt.* (*m*) Neq; ſatis habuit dixiſſe, docet inſuper omnino requiri lepôrem, facetiasq; & eruditionem ſubtili venuſtate atq; urbanitate conjunctam. *Libandus eſt ex omni genere urbanitatis, facetiarum quidam lepos, quo, tanquam ſale, perſpergatur omnis oratio Vel quòd ipſa hilaritas benevolentiam conciliat; vel quòd admirantur omnes acumen, uno verbo ſæpè poſitum; vel quòd ipſum Oratorem politum eſſe hominem ſignificat, quòd eruditum, quòd urbanum.* (*n*) Quid verò, ſi de Epidictico dicendi genere ſermonem inſtituiſſet Tullius? præripuiſſet certè palmam Quintiliano, de argutioribus ſententiis affirmanti. *Ingenioſa hæc & fortia, ut ex ancipiti diſerta credantur, efficiunt. Auditoribus etiam grata ſunt: quæ cùm intellexerint, acumine ſuo delectantur, & gaudent, non quaſi audiverint, ſed quaſi invenerint* (*o*)

(*m*) Epiſt: ad Pætum. (*n*) Lib: 1. & 2. de Oratore.

Tuam ego, integerrime Exiſtimator, mentem nunc exploro. Quoſnam tu Auctores, tanquam feſtiviſſimos, plùs odiſti? In tabulam proſcriptionis quos conjeciſti? Quos eliminandos prædicas, ne diutiùs Rempublicam inficiant? An Suadam Civilem? Phœnicem Rhetorum? Rarioris Atticiſmi admirabilem Eloquentiam? An verò Aloyſium Juglares? Petrum Labbe? Adalbertum Ines? cæterosq; conſimiles, quorum admiranda Ingenii monumenta, continuò manibus eruditorum teruntur? At præjudicium Antiquitatis, pro ſe adferunt: Claſſiciſſimis exemplis, doctrinam ſuam illuminant: Cicerone Judice ſe tuentur. Illos Romana Civitate exciſos eſſe vis? Cotem, excitandis acuendisq; Juvenum Ingeniis accommodatiſſimam ſuſtuliſti. Sed ut nobiliſſimis adeò ſcriptoribus, aquâ & igni ne interdicas; ex facili, placabiliſſima tua ſeveritas exorabitur. Diſtinguendi ſunt diverſi, quin & ſibi prorſus contrarii Eloquentiæ characteres: & protinus infuſcata malignis ſuggeſtionibus, flagrantia judicii concidet. Hanc verò varii generis inter ſe di-

(*o*) Lib: 8. cap: 2.

ſe diſcrepantis, Eloquentiæ conciliationem, ſi benè memini, præſtitit egregiè, in Argutæ Dictionis Ideam Præfatio. Inquit Auctor. ,,Duo ſunt dicendi genera, quæ, ,,cùm inter ſe longiſſimè diſtent, ad Ora-,,toris tamen abſolutionem ambo concur-,,runt. Alterum rectum, ſimplex, gra-,,ve, quo res menti objicitur, qualis in ,,ſe eſt. Alterum acutum, concinnum, ,,ingenioſum, quo res alterius beneficio ſi-,,gnificatur. Utriusq; magna laus, magna ,,utilitas. Illius crebrior uſus, majorq; ,,neceſſitas; iſtius major admiratio, & vo-,,luptas intenſior: cùm Auditor, ſuo ,,quoq; ingenio plaudat, quo, acumen ,,dum perſpicit, ſibi videtur æquare.

§ 16.

Multa hactenus, variis quæſtionibus in diſcuſſionem vocatis, doctè, ſolidè, acutè, ſubtiliter, amæniſſimè pertractata ſunt, ſine auſteriore offenſa, ſine faſtidio. Ulterioris colloquii curſum, diſpunxit diremitq; Clypeus Minervæ, à duobus bajulis in cænationem invectus. Ferculum erat ingens, omnibus ferinæ carnis deliciis ſtructum. Eminebat Aprugnum femur: Alcium,

Alcium, Cervorum, Dorcadum, coxendices aſſæ: aſſæ Phaſides, Querquedulæ, Tetraces, Attagenes, Turdi in pyram accumulati. Humaniſſimus Convivator, dum cujuſvis palato blanditur, ſingulosq; porrectis partibus, ad ſvaviter edendum inducit; nova diſceptatio nata eſt, de mediis parandæ amicitiæ. In hoc argumentum, plurima allata ſunt & varia. Erat, qui tenaciſſimam neceſſitudinem, optimè conciliari foveriq; eſcis & cyathis aſſeruit; negavit alius. Hinc duos inter primæ Nobilitatis Viros, ſuborta certatio, rupit brevem otii mei pauſam. Rogatus enim promere quid ſentiam? moderationem adhibui: atq; ut neuter victum, uterq; ſe victorem crederet, dixi. Ampliſſimas clientelas, & amicitias, munificentiis, annonâ, vinoq; ut honeſtè captari poſſe, ita utiliter obligari, vetus dictum edocet.

Plurima da, pete pauca. nihil rape, habebis Amicos.

Verùm talis conjunctio, ut in ſanctum illud intemerabilis neceſſitudinis vinculum coaleſcat; non mihi perſvadeo. Nam ollæ amicitia,

Aprum amat, & mullos, & ſumen, & oſtrea, non te.
Martialis.

Fortunæ itaq; Neceſſarios plurimos conquires epulo. Tuum verò pectoris Tor-

Torquatum, qui te ipsum æstimet, non tua; Phænice rariorem puta. *Ex omnibus seculis, vix tria nominantur amicorum paria*, inquit Cicero. (p) Et proverbium fert: *quinquaginta pepones probandi sunt, totidem amici, antequam unus inveniatur.* Nihilominus, quocunq; vultu, quocunq; nomine, familiarium clientelæ tibi se insinuant, prensandæ sunt, & maximo quovis impendio benè emuntur. Quàm enim rara est, quæ certissimos, & suos Personæ Achates nanciscatur; tam maxima quævis fortuna truncata & misera est, si Necessariorum consortio destituta, nuda fuerit à copiis amicorum. Parmenio amat Regem, Ephestio Alexandrum: ajebat magnus ille eversor Orientis: ambo tamen Macedonis anima fuerunt.

§ 17.

Sic à me pronuntiata Sententia, movit pulmones cuipiam ex hospitibus, magnæ eruditionis Viro. Magisne astutè an argutè magìs nodum ita dissolvisti, exclamat, ut neutra pars à possessione opinionis suæ dejecta sit. Si omnia quæsita sic expedies, duplex Ulysses vocaberis. Repo-

(p) de Amicit.

posui. Experiare, utrum non cordatiùs loquar pro Laribus meis. Tum ille, Quidquid ex Vestra Societate libellorum prodit, plurimi semper æstimo, ac studiosè lectito. Illi tamen allegorici tituli, quos lucubrationibus præfigitis, prolixi, turgidi, fastuosi, depravatæ Eloquentiæ notam præseferunt. Quid enim simile in pervetustis opusculorum lemmatibus offendisti, quod novissimi isti Commentatores excogitant? Prodigium seculorum: Cælum meritorum: nova Gygantomachia, Phænix, Panthèón Ariadne, & talia infinita. Quàm dissimili ratione Cicero suos ingenii partus indigitavit. Liber de officiis, de legibus, de finibus, de fato, de natura Deorum. Quid vetat antiquis moribus insistere?

Citò retorsi rogatiunculam. Quid prohibet Antiquorum institutionibus morem gerere? *Cur nefas est reperire aliquid, quod antea non fuerit?* quærit Quintilianus. Eundem, ad sæculi affectatius aliquid postulantis genium, ut se comparet Orator, monentem accepimus. Hoc facimus. Præbuitq; specimen Cicero. Quas contra Antonium declamavit orationes, Philippicas nuncupavit. Cur non Antonianas? an Philippus ille, in quem fulgurabat, tonabat Demo- sthenes

sthenes, Propatruus fuit Romani Triumviri? Non. Sed placuit libelli faciem, ornare Metaphorâ. Non exosus est Lectori Tullius, Translatione insignitus? Cur igitur exosa sit allegoria, vel Synecdoche, vel Antonomasia, cujus vultum libellus induat? Credo ego, Vir Eruditissime, te, non ex animi tui sententia, hæc mihi objectare voluisse. Probè enim perspicis, eos, qui splendidam libellorum frontem linguis configunt, graviq; piaculo onerant, Cajo Cæsari comparabiles esse, qui in arenam littoris maris, ducto exercitu, post testarum, cochlearumq; intentissimam piscationem, quasi Daciâ sub jugum missâ, vel Parthorum Rege capto, Urbem triumphali pompa invehi voluit. Quid? Deum immortalem! quid insulsitatis committit auctor, qui allegoricam propositionem, partitionem, totiusq; operis summam & substantiam, initiali paginâ continendam exhibet? Sit Liber tituli conspectu magnificus, dummodo res tractata, paratu non absimili polleat. Quodsi intima extimis non respondent; nulla tituli rusticitas, argumenti imperitiam ineptiasq; abscondet. Quin prodet quandoq;, sicut ædium frons inartificialis ac inelegans, substructionis totius indicat

dicat ruditatem. Non equidem contemptu excipimus auctores, quos plana & simplex nobilitavit inscriptio: vulgatissimum antiquorum usum sequuntur. Sed neq; illos coarguimus, qui ad concinnioris seculi sive subtilitatem, sive affectationem accommodati, faciem lucubrationis, comptiore metaphora investiunt: & isti enim præceptionibus ac exemplis Antiquorum nituntur. Est quædam sanctioris disciplinæ virorum, vitæ austeritas, quibus sordida mollioris cultûs & habitûs negligentia, miram, apud homines venerationem conciliat. Alios verò, nisi splendidè vestiti, graphiceq; ornati incesserint, nullius mortalium oculus dignabitur. Non dispar Scriptorum, Scriptionumq; fortuna est.

§ 18.

Acquievit dictis, & cum gratiarum actione assensit, summæ in dijudicando Vir prudentiæ. Sed hunc excepit alius, ex Proceribus unus, Auctoritate præpotens, jure & meritò maximè respectandus, qui tali me oratione postulavit. Appositè satìs novos Oratores, ab objectis criminationibus sive excusâsti, sive absolvisti. Nescio

ſcio tamen, quomodò ab ineptiarum crimine, vindicare poteris quoſdam Rhetores, qui in argutiis leviſſimi ſunt: alii verò dictis phaleratis inſolentes, tenerâ, uſq; ad delicias, luxuriantes dictionis laſciviâ, verborum multitudine, auribus inaniter obſtrepunt, & veritatem ſophiſmatibus obſcurant. Talis certè orationis, tanquam ineptæ & à rationibus Reipublicæ alienæ, Magiſtros exterminandos eſſe, docent nos Antiquitatem fundatiſſima exempla. Dic enim quæſo, quos Plato Oratores Civitate eſſe mulctandos pronuntiavit? malos utiq; & non bonos. Contra ſe enim tuliſſet ſententiam, cùm Plato non minùs Philoſophus, quàm Orator Divinus fuerit. Quoſnam Græci, Romaniq; Lacedæmonii, Athenienſes, Cato, Craſſus pœnâ exilii percuſſerunt? malos & ineptos, qui bono publico prodeſſe nihil, quin potiùs obeſſe poterant.

Iſtis me ſic oppoſui. Ex oraculo tuo, Vir Eruditiſſime, rem novam, orbi univerſo incredibilem, & ante hunc diem, inauditam tandem diſcimus. Primos nimirum Eloquentiæ Principes Demoſthenem Tulliumq; Oratores omnium peſſimos exſtitiſſe. Quos enim Græciæ Civitatibus ejectos legimus oratores? malos utiq; & non bonos, nempe Domeſthenem. Quos Tribunitia rogatione fugatos ab Urbe? malos & ineptos: nempe Marcum Tullium Ciceronem. Exilii ſortuna utrumq; excepit: uterq; ſolum vertere coactus eſt. Ergo hæc illos ſcilicet malitia tandem confecit occiditq; quòd in argutiis leviſſimi, inanibus verborum phaleris obſtrepentes, ſophiſmatibus veritatem obſcurantes, tenerâ dictionis laſciviâ luxuriantes, prodeſſe Reipublicæ nihil, quin potiùs obeſſe poterant. Et tamen quid encomii reportavit Cicero? ſcribit Velleius. *Vir optimè de Republica meritus, conſervatæ Patriæ pretium, calamitatem exilii tulit.* (q) Et Fabius id ipſum. *Cicero, ſervatæ Patriæ pœnam, paſſus exilium* (r). Quid ab Athenienſibus Demoſthenes? Erectæ ſtatuæ ſubſcripſerunt.

Si tibi Vis Animo, Demoſthenes, æqua fuiſſet;
Non foret Æmathiâ Græcia capta manu.
(s)

Hìc jam acri judicio tuo, propalam potes deprehendere, quàm mendoſa conjectione nititur, adeò ſplendida exemplorum deductio. Verùm ego, in hac re, penitus elinguis eſſe volo: vereor enim. Quid reformidas? interrogat ille. Tuam, dico, Magnitudinem revereor, ne candidè loquentem,

(q) Hiſtoriæ Lib: 2. (r) Lib: 11. cap. 1.
(s) Plutarchus in Parallelis.

tem, ingratiis accipias. Quarè, nisi coëgeris, ne hiscam quidem ultrà. Mihi verò, inquit, nihil magìs cordi est, quàm candor & veritas. Ita asseveras? ita juras? contor ego. Non succensebit ergo Sapientia vestra, confidentiæ meæ, si quid sine blanditiis expromam? Ad hoc ille. Dic apertè quod sentis, non me offendes. Dicam igitur quod sentio, siquidem cogis ut eloquar. A tali, qualem audivimus, oratione, caveat sibi Respublica. Dico iterum: caveat sibi Respublica! Punctum ille se ostendit, pressâ tamen commotiunculâ, subridens protulit. Convicio percutis me. Non convicior, inquam, non convicior: sed rectum orationis tuæ sensum, à deceptione secernere, vindicare à fallaciis volo. Sophismatibus veritatem obscurantes, à Republica abjudicandos, arcendos, & procul submovendos esse voluisti Oratores, tanquam malos, qui prodesse bono publico nihil possunt, quin possunt obesse. Atqui tuus ipse, quem proposuisti, sermo, sophisma est: enormi laborat scatetq; sophismate. Verùm ego iterum deprecor, iterumq; supplex sum, liceat mihi, citra tuam offensionem, potiùs silere penitus, quàm ut Te cumulatum irâ inclementemq; mihi faciam. Quinimo, ut clarè demonstres quod objecisti, urgeris, fatur. Tum ego.

Malum Oratorem dici, sensus admodum ambiguus, captioniq; multimodæ obnoxius est. Vel enim prorsus inartificiales, inficetos, inconcinnos, &, ut Quintiliani verbis loquar, qui humile & quotidianum sermonis genus, compositione ipsa dissolutum sectantur, quale naturæ, ingenuè animi sui voluntatem explicare conanti, nunquam non suppetit, malos Oratores intelligis? Et tales quis Civitate exscindendos esse reputavit? Non proderant, quia inepti: quia suæ nisi naturæ sensa enuntiare gnari. Verùm est. Sed etiam obesse non poterant, quia inepti. Non supplicii satis erat, sic ingenuos, à Rostris submovisse? missâ infamis exilii pœnâ. Vel quales odiosis commaculatos phrasibus recensuisti, noxios damnabilesq; judicas? Atqui isti, totidem commendationibus probabiles sunt. Non argutiis perridiculos, sed acumine vibrantes, sed ingenii plenos vocari decet. Non vanitate elocutionis luxuriantes, sed pexa oratione svaves, torno periodorum teretes, translationum lumine splendidos. Non phaleris verborum obstre-

ſtrepentes, ſed orandi validos, figuris exornatiſſimos, ſententiarum copiâ luculentos. Non ſophiſmatibus obſcuros, ſed ſubtili argutaq; Rationum conſecutione, conſpicuos, in omni tandem Rhetoricandi arte ſuſpiciendos, nobiliſſimos, & non plebeios exiſtimari oportet. Ita, quos tu levitatis, tumoris, affectationis, obſcuritatis condemnas; iidem mox, mutato judice, arguti, copioſi, ſublimes, ad gravitatem compoſiti, comiter, ſplendidè, pompaticè ornati erunt. Si tamen & hos facultatis veræ germanæq́ Eloquentiæ inopes prædicas; cur præditos facultate nocendi credas? Iſtiuſmodi certè, à Platone, Græcis, Latinisq́;, expulſionis ſuffragio confixos fuiſſe, ſi quis ſibi vel per ſomnium fingit, fallit iſte falliturq́; vehementer, nullamq́; fallacis opinationis fidem facere poterit. Vel tandem omnibus Eloquentiæ partibus & dotibus, ad prodigium inſtructiſſimos, ſed animi pravitate exitiabiles, linguâ petulantes, moribus incompoſitos, perverſos, inquietos, rerum novandarum avidos, malam peſtem vocas oratores? talesq́; Græcorum Romanorumq́; legibus exauctoratos fuiſſe, tanquam à Reipublicæ rationibus alienæ fabros Eloquentiæ? Iſte tandem veriſſimus

ſenſus

ſenſus eſt. A Definitione enim Oratoris, quem Virum Bonum eſſe oportet, diſcolores ſunt tales artificioſi ſermonis opifices. Verùm, parte iſta non ferior ego, neq́; novi Oratores percelluntur: quos tu neq́; adeò linguâ robuſtos exiſtimas, ut Eloquentiâ ſuâ Rempublicam perturbare valeant; neq́; animi perverſitate & audaciâ tam profligatos, ut velint. Atq́; ita, ſtructum illud conflatumq́; tanto molimine ſophiſma, in auras difflatum abiit. Sed quid ego tantopere deſudo?

§ 19.

Stitit impetum ſermonis noſtri, idem interpellator. Et ait. Acerbiùs, quàm expectabam, in Adverſarium invectus es. Indignationem meam juſtam incurriſti. Non pertimeſcis? Ego verò. Inſinuatione prævia, manſvetudinem utiq; tuam occupavi. Mox ille. Nihil metue: pertentare te volui, tuamq́; ingenii ſolidam vim, perſpectam habere. Niſi tamen Eloquentiæ Principum documentis, dicta ſuffulſeris, confutatio tua infirmabitur. Reſpondi. Nihil promptiùs, nihil expeditiùs peragam. Præſtò enim mihi eſt Quintilianus, de Platone

tone loquens. *Plato, in illud hominum genus invectus est, quod facultate dicendi malè utebatur. Vis illa dicendi, si in malos incidat, & ipsa judicanda est malum. Nihil publicis privatisq; rebus perniciosius est eloquentiâ, si malitiam instruxerit.* (t) Præcipuè tamen libri 2di cap: 16. ita significanter præstat meas defensionis partes, ut in hoc argumento, mihi, per illum, otioso esse liceat. Adducit enim in objectionem eadem ipsa exempla Lacedæmoniorum, Atheniensium, Romanorum: docetq; invectiva Legum fulmina, contra talem Eloquentiam exarsisse, *cujus perniciosus usus turbaverit perverteritq; statum Civitatum.* Atq; adeò, non defuisse ullam orationis virtutem Rhetoribus illis, quos extorres fieri volebant edicta publica; sed propriam defuisse veri virtutem Oratoris. Quarè, ne iterum aliquis sophismatum fascinus obrepat, vestræq; sapientiæ palpum obtrudat, ad Definitionem Oratoriæ rei descendamus.

§ 20.

Hìc verò certatim plurimi instare cœperunt. Enuntia, quam tu Eloquentiæ descriptionem statuis?

Respondi.

(t) Lib: 2di cap: 15. & Lib: 12. cap: 1.

Respondi. Non est posterorum Rhetorum audentiæ, ut ex proposito suo, sive Disciplinæ, sive dictioni, sive Personæ oratoris, novos Canones præfigant. A Majoribus traditas definitiones emendare & locupletare velle, religio est. Quantùm aliquis ex persvasionibus suis adjecerit; tantùm amplitudini, virtuti, generiq; nobilissimæ scientiæ derogabit. Quid enim? si omnem ego orationem solidam, robustam, claram, gravem, planam, ornatam, non levem, non tumidam, non obscuram, non affectatam esse voluero? Adjicite porro plura, si vobis placet. Dicite orationem verbis affluentem, rerum copiosam, teretem, modulatam, sententiosam: acrem & lenem: incitatam & lentam: candidam & callidam: humilem & non humilem: naturæ formâ simplicem, artis elegantiâ splendidam, & magnificam esse debere. Non pedestrem, non fractam, non frigidam, non mollem, non præpinguem nimis, neq; strigosam & exsuccam. Nonne hæc inique ego postularem? Immo perperam: ut pote vera simul & falsa, discordantia, & insociabilia multa. Nam quandoq; virtus manifesta & publica, argumentorum robore non indiget, sed exaggeratis laudum præconiis,

coniis. Ipſa quandoq; decoctior exornatio, inermem ac enervem; planitudo elanguidam; elumbem exſanguemq; reddet gravitas orationem. Supra modum ſe tollens elocutio, ubi non ornat, faſtidioſus tumor eſt; alibi verò Majeſtatis magnificentiæq; character. Exaſperata, ſimplex, & humilis interdum dictio, vim exercet conciliandis animis mirificam. Omnis aliquando affectationis fuga, malè quæſita dicitur, affectata eſt. Subinde autem *jucunditas Xenophontis inaffectata perſonat, ſed quam nullâ poſſis affectatione conſequi*, ait Fabius. (*u*) Leve aliàs dictum, ſi accommodatè ſtrinxeris, pungit, delectat, vincit, atq; inopinanter pondus acquirit: & tanquam cuſpidata, ſariſſæ, exigui ferri acies, longo orationis haſtili præponderat. Nonnunquam verò locupletiſſimum, & ad aurium voluptatem, omnibus quæſitis lenociniis, phaleratum ſermonem, velut cum Pallade natum aureum imbrem, miratio, plauſus, approbatioq; ſumma conſequitur.

Quid hoc rei, quid cauſæ eſt? quæritis fortè Proceres Sapientiſſimi. Conſulendum eſſe Ciceronem arbitror, ipſe nos edoceat. Reſpondet Cicero. *Amplitudo Oratoriæ infinita: quæ non habet finitam aliquam*

(*u*) Lib: 10. cap. 2.

quam regionem, cujus terminis ſepta teneatur. Sed quæcunq; in diſceptationem cadere poſſunt, benè ſunt ei, qui hoc ſe poſſe profitetur, dicenda: aut Eloquentiæ nomen relinquendum. (*v*) Accedit motuum animi in hominibus multitudo incredibilis. Neq; enim omnes Rhetorici muneris partes attigit Pòëta.

Flet, ſi flere jubes: gaudet gaudere coactus:
Et te dante, capit populus, quam non habet iram.
Lucanus.

Copioſiùs hæc enumerat Cicero. *Delectatur audiens & ducitur oratione, & quaſi voluptate quadam perfunditur. Gaudet, dolet, ridet, plorat, favet, odit, contemnit, invidet, ad miſericordiam inducitur, ad pudendum, ad pigendum, iraſcitur, miratur, ſperat, timet.* (*x*) Omnes ergo humanorum affectuum motus, quanta in his diſcrepantia! quanta judiciorum pugna! ſolerter tractare, Oratoris eſt. Sive igitur horum, ſive rerum tractandarum varietatem infinitam ſpectes, nihil vel parum præſtabit Eloquentia, quæ ſemper æquabili, ac innumeris obſervationum articulis, arctiſſimo tenore circumſcripta ſit. Namq; interdum magnifica & gravis: nunc verſuta & ſubtilis: nunc lenis & inſtar alvei Nilotici redundans: nunc nivi-

(*v*) Lib: 2. de Oratore. (*x*) De Claris Oratoribus.

nivibus hybernis, copiâ verborum atq; impetu par, dicit Fabius. (y) Concitata, aspera, & abrupta: nunc inculta, quasi agrestis & squalida: nunc ubere ingenio florida, comis, arguta, exultans, & festivis jucunditatibus perfusa, quasi Protheum, varias se se in formas vertentem, induat necesse est: prout ad moderandam Comitiorum Undam, ad ocupandas retinendasq; populi affectiones, ad excitandos, permulcendos, recreandos, encomiis & rectefactorum prædicatione attollendos animos, ad pervincendam rapiendamq; concionem, docendo svavior, movendo delectabilior, celebrando plausibilior, lenocinando utilior, placendo efficacior, objurgando admirabilior fandi ratio est. Atq; istud est, quod Fabius docet. Sic enim suos Rhetorices Alumnos instituit. *Dicet Orator graviter, severè, acriter, vehementer, concitatè, amarè. Comiter, remissè, subtiliter, blandè, leniter, dulciter, urbanè. Non ubiq; simul, sed ubicunq; par sit.* (z) Et hoc est Oratorem esse, hoc est scienter, peritè, & ornatè dicere. Nihilominus exiguum adhuc est, quidquid attulimus. Amplitudo enim Artis infinita, non habet certam regionem, neq; terminum, quo septa teneatur.

§ 21.

(y) Lib: 12. cap. 10. (z) Ibidem.

§ 21.

Perorantem flagitant me. Satìs disertè coarguisti Eloquentiæ malos explicatores. Jam in expectatione rectæ, ac emendatæ definitionis sumus: hanc à te emungere volumus.

Paratissimum esse me declaravi. Dicto audiens sum. Velim tamen priùs à Vobis intelligere, qualem Rhetoricæ Definitionem emendatam recitari vultis? Nuperrimè excogitatam? offertissimam? ventrosam? neq; caput, neq; pedes habentem? extentam? prolixam? & quæ septem assurgat in ulnas? Absit à me temeritas. Si alicubi, certè in rerum definitionibus, maximè suspecta esse debet novitas: ut, quæ contra Antiquitatis Doctrinam, effusè petulans est. Nova quidem scientiæ definitio vel descriptio, vertit naturam rei definitæ, & aliam statuit: nec minùs deridiculo obnoxia est, quàm Aristoteli, homo Platonicus: Est Animal bipes, implume, erecto collo incedens: videlicet glabellus, vulsis plumis, gallinaceus. Si fortè sunt aliqui, qui emendatissimam eloquentiæ descriptionem, magno studio commenti sunt,

ti sunt, qualem neq; Marcus Tullius, neq; Fabius Quintilianus, adinvenire quiverint; istis Vos novæ Oratorum sectæ, principatum deferte. Ego non me tali dignor honore, neq; si alteri deferatur, indignor. Nihil igitur novum, nihil inauditum, nihil commentitii portenti, à me audietis. Sed sentio cum Isocrate. Rhetoricam esse *Artem, quæ novit ex parvis magna, ex magnis parva facere.* Id est, ut Cicero sumit, *per Appositionem vel Extenuationem, amplificare rem in ornando.* (*a*) Cum Cicerone Fabioq; convenio. *Esse scientiam vel artem bene dicendi.* Subscribo Tullianæ explicationi. *Ars bene dicendi est: scienter, peritè, & ornatè dicere.* (*b*) Quòdsi una descriptione complecti simul volumus distinctionem Generum Eloquentiæ, à Cicerone factam, quam optimus quilibet Præceptor respectare debet, ne, nihil distinguendo, cuncta misceat, & nihil doceat; iterum adhæresco Ciceroni. *Is eloquens est, qui & humilia subtiliter, & magna graviter, & mediocria temperatè possit dicere.* (*c*) Quid ultra? nihil. Heu! decipis nos Optime Magister. Truncata hæc doctrina, tuum, Popilii ferro recisum caput ostentat. (*d*) Dicite obsecro, cur Tullius reformidavit plenissimam trade-

(*a*) Lib: 3. de Oratore. (*b*) Lib: 2. de Oratore. (*c*) Ad Marcum Brutum. (*d*) Popilius ferro abstulit caput Ciceronis, à quo in causa capitis olim defensus est.

tradere expositionem? quam postremi emendatores supplere coguntur, docendo. Ajo Eloquentiam debere esse solidam, claram, ornatam, naturæ judicioq; planè conformem, omni doctrinæ genere abundantem, robustam, fluidam, nitidam, non levem, non tumidam, non obscuram, non affectatam, non peregrinis scatentem vocibus. Ah! vix non spiritum interclusit mihi, reddita continenti ductu, pneumatica Definitio. Sinite me, Indulgentissimi Domini, ut reciproco anhelitu, paululùm animam recipiam.

Jam respiravi. Quare talem Eloquentiæ descriptionem, Cicero nec consomniavit quidem? Qui mihi respondere volet, consideret quæso diligenter. Quid tale tandem? Fortè quid velim ego. Non. Id enim à Vobis, Viri Sapientissimi, si exigerem; magno conatu, magnas nugas dicerem. Non quid ego volo, sed quid Cicero vult.

Veritus nimirum est, ne, dum tumorem rejicit; gravitatem & pompam exuat. Dum intentiùs perspicuitati inhæret; sublimitati & robori officiat. Dum plano ac mediocri campo incedit; obtusus, tenuis, & pervagatus audiat. Dum ad Naturæ simplicitatem, sese antiquus homo attemperat;

rat; quæſitiſſimæ Arti excellentiam, figuram, & admirationem deripiat. Dum affectationem proſcribit; ſplendoris concinnitatisq; elegantiam amittat. Dum quidlibet ingenioſum argutumq; levitatis damnat; lepôrem, voluptatemq; ſermonis amputet, atq; omnem ingenii famam abjiciat. Verbo, talem explicationem Oratoriæ meditatus eſt, quæ in omni dicendi genere, formâ, & ſpecie, quæ laudabiles æquè ac innumerabiles ſunt, firma inconcuſſaq; permaneret. Aliter enim, Julius Cæſar diceretur levis in orando, & perridiculus, qui, ut laudat Cicero, *tragicas res pæne comicè, triſtes remiſsè, ſeveras hilarè, forenſes ſcenica propè venuſtate tractavit.* (e) Et affectatione laſciviret Iſocrates, qui *in omni oratione, omnes dicendi veneres ſectatus eſt.* Et Meſſala Corvinus, ranæ in modum intumeſceret, qui *in dicendo, erat quodammodo præſeferens Nobilitatem ſuam*, ut prodidit de utroq; Fabius. (f) Et, ut mittam plurimos, neq; ipſe Cicero, quem *tanquam tumidiorem & Aſianum, in ſalibus aliquando frigidum, in compoſitione fractum, ac Viro molliorem, nimiis floribus, & ingenii affluentiâ luxuriantem, qui æmulabantur, qui invidebant, qui oderant, inceſſebant*, ut narrat Quintilianus.

(e) Lib: 3. de Oratore. (f) Lib: 10. cap: 1.

anus. (g) Neq; ullus Orator inveniretur, cui temere contaminando, hodie nata, incondita, monſtroſa definitio, paratas non poſſet maculas affingere, ſemperq; aliquis perpetuus Rhetorum exagitator ſeſe oſtentare. Nullum mihi Oratorem dabitis, in quo, nihil ego, quod deſideretur, nihil quod reprehendatur, comperero. Quid eligitis o Proceres? cum Cæſaribus, cum Corvinis, cum Iſocrate, cum Tullio vitioſi? an cum iſtis, qui novitiorum vocabulum aliis tribuendo, ſibi induunt, laudatiſſimi cenſeri Oratores?

§ 22.

Ad perfectam rei Oratoriæ comprehenſionem, ſpectabat adhuc nôſſe officium, naturam, & virtutem Veri Oratoris. Sed hâc de re, nulla uſquedum intercurrit inveſtigatio. Mihi ipſa perducendi ad finem ſermonis ratio, ſtimulo fuit, ut excitatos omnium animos & aures, ad capiendam Veri Oratoris notitiam invitarem. Quapropter, ita peroravi.

Tam docti, tam curioſi in multis, id, quod in præſenti materia principaliſſimum eſt, quærere neglexiſtis. Totius contro-

(g) Lib: 12. cap. 10.

controversiæ caput: quis tandem dicendus sit verus Orator? Hanc difficultatem nondum examinatam, ultro, non postulatus expedio. EST VIR BONUS, BENE DICENDI PERITUS. Ita decernunt Cato, Cicero, Quintilianus. Istis accedo. Hæc enim Veritas, apud omnes Eloquentiæ Magistros, extra dubitationem posita, adeò nihil habet ambigui, ut Fabius Quintilianus non asseveret tantummodò, sed gravissimis rationibus demonstret. *Eum, qui sit Orator, non tantùm Virum bonum esse oportere; sed nec futurum quidem Oratorem, nisi Virum Bonum.* (*h*) Quî id fiat? causam ex eodem Præceptore, jam attuli. Verùm insigne dictum, millies dignum memoratu est. Recogitandum, iterum refero. *Vis illa dicendi, si in malos incidat, & ipsa judicanda est malum. Nihil publicis privatisq; rebus perniciosius est Eloquentiâ, si malitiam instruxerit.* Nimirum sicut arte militari, nihil ad salutem Reipublicæ utilius: ad tranquillitatem conservationemq; omnium tutandam, validius nihil inveniri potest bellicâ disciplinâ; ita, affirmat Cicero: *Viri boni Eloquentiâ non solùm privatorum plurimorum, sed & universæ Reipublicæ salutem, maximè contineri.* (*i*) Sed si ea-

(*h*) Lib: 12. cap: 1. (*i*) 1mo de Oratore.

si eadem præclaris manus, crudelitati & insolentiæ se tradiderit; si in prædationes & latrocinia, in fortunarum direptiones, in Civium cædes exarserit; quæ pestis Reipublicæ calamitosior? quæ diritas immanior? quod bustum Patriæ funestius cogitabile est? Sic Viribus Eloquentiæ, velut quibusdam armis roborata improbitas perversitasq;, dicit, Tullius: *In bonorum omnium pestem perniciemq; vertitur.* (*k*)

Perspicitis jam Viri Sapientissimi, me nihil ad insidias, nihil ambiguè, nihil temerè, nihil arbitratu meo comminisci, quænam ex veritate dicenda sit vera Eloquentia? Quis verus Orator? Vel quæ contrà, non ex commentitiis sophismatibus, sed ex vero sensu falsa, mala, & à rationibus Reipublicæ abhorrens, indigna & nociva Eloquentia? qui mali falsiq; Oratores habendi sint? Illos nimirum tales fuisse & esse, quos nefas est Bonos Viros appellari. Talibus meritò, & optimo jure Platones, Catones, Crassi missionem obnuntiârunt. Date Senatum, date aures ipsi Crasso, quem Cicero inducit ita loquentem. *Latini etiam, si Diis placet, dicendi Magistri, hoc biennio exstitere. Quos ego edicto meo sustuli. Nolui enim obtundi inge-*

(*k*) 2do de Officiis:

ingenia, corroborari impudentiam. Et cùm impudentia ludus esset, cùmq; hoc unum traderetur; putavi esse Censoris, ne longiùs id serperet, providere. (*l*)

Atq; ex his, testatissimam rem videre licet. Non argutiarum floribus consitam, non affectata venustate calamistratam, non usq; ad delicias tenerâ luxuriantem dictionis lasciviâ, non sophismatibus ludentem, non phaleris verborum obstrepentem (quæ phrases solâ tumidâ, inani, levi, & affectata cavillatione in vitio sunt) sed pari movendi persvadendiq; artificio, atq; perniciosо nocendi spiritu imbutam & fortem, (fuerit licet clara, nitida, naturæ judicioq; conformis, non tumida, non levis, non affectata, non obscura) tanquam à proposito & natura veri Oratoris, tanquam à rationibus Reipublicæ alienam, damnant Platones, Catones, Crassi Eloquentiam. Talem scilicet, qualis in Julio Cæsare, ad Libertatis Romanæ excidium accincto, regnâsse proditur. Ubi, in Pharsalicum, fatalem illum victoriæ suæ campum, eductam aciem, verbis inflammat. Cæsarianam ad illud prælium Eloquentiam, robur & efficientiam, faces dicendi & flagrantiam, vim & actum, non finxit, sed oculis subiecit Pòëta

(*l*) Lib: 3tio Dialogi.

Pòëta Lucanus. *Calet omne nocens à Cæsare ferrum: gladiis velut imperet ipsis: invito moturus milite bellum.*

§ 23.

Venit tandem ad exitum oratio: demonstrata est veræ Eloquentiæ, vera notio: profligata omnis criminatio. Neq; licuit mihi longiùs diserto esse. Dum enim culinæ Ministratores, nova gulæ invitamenta, secundas mensas important, sublatoq; priore ferculorum apparatu, alia ex dulciariis lactariisq; cupediis, ex ingeniosis peregrinisq; palati deliciis, cæna, ad Archimagiri artem componitur; diuturnæ interim sessionis pertæsi convivæ, ab accubatione se se proripuerunt. Famem inambulando opsonabant illi: quo tempore ego, in amicitiam candidissimæ Animæ penetravi. Erat in illo consessu, vir Religiosæ vitæ cultor eximius, severioris instituti Sodalitii Antistes, doctus cumprimis, permodestus, affabilis, & ad omnes comitatis numeros factus. Ut primùm à publico nonnihil remoti, invicem consalutavimus; statim ille certationes meas mirè dilau-

dilaudare, responsiones probare, mihiq; congratulari. Ego verò incogitatæ, inopinæq; dictionis halucinationes, magna summissione excusare. Juxta hæc, auspicatur. Cùm horum disceptatorum assultus, tuis cum refutationibus confero; evidens mihi est, totam hanc criminationum aciem, contra Ciceronem militare. Ostendisti enim liquidò tot exemplis, sive entheum, ut illi putant; sive obscuritatem, sive tumorem affectationemq; sive improprium & falsitatem, sive lætiores etiam lusus & argutias, & quidquid illi objectârunt, oranti docentiq; Tullio quadrare ad amussim. Nihil horum sanè agnosco, inquam; sed si ita est, quid tu ex his concludis? effare. In hanc, inquit ille, opinionem ducor, quòd ipse Tullius, si nunc Rhetorem ageret; istis, qui te divexârunt Judicibus, tumidæ, entheatæ, à recto judicio, à rationibus Reipublicæ, alienæ Eloquentiæ accusatus, citatus, damnatus, iterum vasa colligere, mare transmittere, iterumq; terra Dyrrachii tremere, & infelix Marcus, Athenas exul demigrare compelleretur. (m) Ad hæc reddidi ego. Equidem ab intelligentiæ tuæ perspicaci delectu, nefas mihi duco dissentire:

(m) Ut Dyrrachium appulit Româ ejectus Cicero; terræ motus consurrexit. Rogati Sacrificuli & divini, dixerunt: Quòd *tellus exulem Ciceronem ferre non possit.*
Conradus Lycostenes.

tire: non abludit à vero, lyncea tua comprehensio. Sed animi tui sensum nonnihil suspende: exitum certaminis opperiamur. Plura in ore mihi erant; cùm illud tam jucundæ necessitudinis consortium, præcidit citatissima ad concænationem invitatio.

§ 24.

Credebam omnem provocationum æstum jam consedisse. Et revera consederat; nisi quidam, ut claris natalibus, ita præferoci Ingenio Juvenis, ex nihilo, protervitatem suam in me vertisset. Præter enim omnem expectationem, involat in me. Novi equidem, quem tota oratione tua persequi voluisti. Auctorem Critices Oratoriæ refellere, & frangere conatus es. Sed albos corvos citiùs videbis; quàm te oblectabis hoc palmario. Suspendas te potiùs, quàm ut aliquando victoriam pertendas.

Obverti cornua, malè morato Tyroni. Quæ intemperiæ te agitant? optime Juvenis. Nunquid ego Criticorum Aristarchus sum? Ad vestra interrogata respondere, vestras provocationes retundere, convellere im-

re impressiones attentavi: voluistis enim, & propterea me, non tanquam ad cænam, sed quasi ad cædem invitâstis. Cum Auctore verò, quem te bene novisse dicis, adeò nulla mihi lis, diffidentia nulla est; ut potiùs plurimum intersit gratificandi studium. Quid enim ille aliud unicum in optatis habet? quàm, ut Orator, ad satisfaciendum adversariæ parti accinctus, solidè, clarè, ornatè, judicio naturæq; convenienter, doctè, fluidè, non leviter, non tumidè, non obscurè, non affectatè, neq; inventis ad libitum latinis vocibus, sed verè latinè, quascunq; objectationes dissolvat. Id si perfecerit; amicus, frater, corculum est. Hoc utiq; novisti, scienti loquor. Jam fidem appello tot testium, quotquot in hac lectissima frequentia, Viros amplissimos cernis, me contra has leges, quanquàm plerasq; iniquas, & Rhetorum Legislatori Tullio contrarias, nihil quidquam deliquisse. Fortè enim non est, qui mihi *fortalitiis*, *improperiis*, cæterisq; barbarum quid olentibus verbis, inquinatam latinitatem; vel in Oratione, fluminis inopiam; vel in responsionibus tenebras; in rationum deductione sophismata; aut in urbanitate ridiculum, levitatem in acumine objiciat. Alia,

Alia, ne tumidè loqui videar, non jacto: coràm præsens tam numerosa manus, locuples mihi adstipulatio est. Omnibus itaq; eruditi Auctoris votis, gratificatus sum: omnes, quotquot in mente habuit fines & desiderationes, etiam nolens, & nescius, & aliud agendo, ubertim fortè coronavi: ut non ex vano sperem illum sibi, mihiq; saltem tacitè in sinu congratulaturum. Quòdsi operis ipsius institutum ritè perpenderis; omnibus ille, in propulsandam à Latinis Musis peregrinitatem, contendit nervis; & duntaxat hæc, tam feliciter ac egregiè conata præstat; ut, si libellum conspexisset Cicero, datum olim Catullo præconium, huc transtulisset. *Hujus oratio pura sic est, ut latinè pænè solus loqui videatur.* (*n*) Eritné, qui tam limpidæ ac tersæ latinitati, ipsi Tullio probandæ, obtrectare ausit? Impostura me, alieni honoris reum facere voluisti. Ad extremum, Quintiliani dictum recolo. *Nominare Auctorem ea parte, quâ reprehenditur, inhumanum est.* (*o*) Lex ista inviolabilis esse debet cuivis humanitatis officiis potissimo Oratori: hanc regulam servandam sibi proposuit, quem invito mihi temerè, ad invidiam conflandam obtrusisti, Scriptor. Idem & mihi,

G

(*n*) L. 3. de Oratore. (*o*) L. 1. cap: 6.

hi, conſequendæ ex modeſtia laudis, conſilium eſt: eadem conſervandi honoris ac obſervantiæ intentio, quæ Tullio fuit: ut cum illo dicere poſſim: *Neminem nomino: quarè, iraſci mihi nemo poterit, niſi qui antè de ſe voluerit confiteri.* (*p*) His à me, depuli, inſedati vexatoris aſſultum.

DISSERTATIO II.

De Falſa Eloquentia.

DIligentiùs, nec ſine cura, memorari ſeparatim exigit, quidam Interventor, qui mihi, eodem tempore, haud parum negotii, ſub cænam, faceſſebat. Cæptis jam bene menſis, paulò tardiùs ille ſupervenit. Ocreis indita calcaria, peregre adventantem; amictus, geſtus, totiusq; corporis compoſitio, planè exoticum hominem indicabant. Fari quidem populari ſermone geſtiebat, libenterq; quanquam vitiosè & perperam, fabulabatur, & verba funditabat Polonica, non ut tribulis, ſed quaſi totius mundi Civis: oratione ſcilicet, adeò variarum peregrinita-

(*p*) Orat: pro lege Manilia.

te linguarum inquinatâ, ita ſono fractâ, ut ex Oceani meridionalibus appuliſſe crederetur Inſulis, ubi, ut narrat Hiſtoricus, feruntur naſci homines, lingvâ bifariam à radice divisâ: cujus beneficio, & diverſarum avium cantus imitari poſſunt; &, quod mirabilius eſt, duabus ſimul linguis reſpondere, colloqui, diſputare. (*q*) Sciſcitatus ſum ex multis, quiſnam eſſet ille hoſpes? Sed nullus mihi certi quid retulit, niſi convenam eſſe. Alii divinabant, fortè eſſe Italum, fortè Francum, fortè Britannum, fortè Batavum. Ubi verò noſtris ille cæpit ſe immiſcere colloquiis; exclamâſſet Satyricus.

Omnem hominem ſecum attulit ad nos.
Grammaticus, Rhetor, Geometres, Pictor, Aliptes,
Augur, Schœnobates, Medicus, Magus. Omnia novit.
Juvenalis.

Cum hoc, plurima mihi interceſſit controverſia. Statim enim initiò, variis me interlocutionibus obturbabat; ſed intortè obtruſas propoſitiones, loco intexere diſſimulavi; ut ne interciſo narrationis curſu, ordinem menſæ confunderem. Illius tota fandi vis, & res, in eo verſabatur, ut perſvaderet, malam ineptamq; eſſe eam, quam hactenus in omnibus Scholis obſervatam vidimus, tradendarum prolixè, & lentè, diſci-

(*q*) Diodorus Siculus Rerum antiquarum l. 2. c. 13.

disciplinarum rationem & methodum. Aliam novam Scientiarum Encyclopædiam, percelerem, compendiariam, amputatam, & parcam, introducere, in animo habuit. Id quibus cuniculis evincere attentavit? hìc tandem refero; omniaq; istius ignoti Viri meditata verba, opiniones, atq; sententias, conjunctim, uno quasi sub intuitu, repræsento.

§ I.

In Venetorum Republica, inquit, Patavii princeps Academia floret: ubi gravissimus quidam Magistratus, reformatorum nomine, ex primaria nobilitate delectus, præest rei literariæ, maximèq; invigilat, ne bonæ artes, ab eo, in quo esse debent, splendore degenerent, præsertim eloquentia.

Hæc dicenti, notationem brevissimam injeci. Nihil potuit sanctius constitui. Nam, ut Orator vir bonus; ita Magister Vir Optimus sit oportet: ne contingat Adolescentum *obtundi ingenia, corroborari impudentiam*: quod, Crasso Censore, evenit Romæ. Quod autem sæculum talium Pædagogorum vacuum est, quos, si Bonos

Viros nominaveris, abhorrebit à fide vocis usurpatio?

Pergit ille. Hunc quoq; in finem, in Gallia, Belgio, Germania, Rossia, institutæ sunt literatorum hominum Societates, quibus singularis cura est, ut bonæ artes & literæ, ad veram laudem, verumq; ut ita dicamus, gustum reducantur.

Iterum ego succinctè. Dictæ Societates tantùmne eloquentiæ ludum? vel istum ambitiosiùs profitentur? Omnium scientiarum, artium liberalium omnium, par ibi, ad veram laudem cursus est. Quæ verò facultas, scientia, & ars, debito splendore aliis præpolleat? ut fama obscura; sic ambigua palma est. Si famam conveniemus? sunt profectò percelebratæ Societates; aliæ, ubi Schola Peripateticorum antecellit & vincit; atomorum commentoribus, ne tantillo quidem, quanta atomus est, puncto sistere datur. Mathematicis disciplinis florent, & præ reliquis, inclarescunt alia Gymnasia. Juris scientia, maximum nomen consequitur alibi. Alibi Medicæ facultatis ars experientissima decantatur, veræq; laudis fastigium, una obtinet. Verùm, nunquid ista ancillantur eloquentiæ, de cujus solius vitiis unicum nobis discrimen est?

§ 2.

Vultu ad indignationem commoto, memoratus hoſpes, in me invehitur. Quamobrem ergo aliarum Nationum exempla, ad reſtaurandum adeò neceſſarium veræ eloquentiæ ſtudium, vos minimè ſolicitant? De diſciplinis liberalibus, ad veram laudem revocandis, nec cogitatis quidem.

Inſurgentem his compoſui. Rem admodùm utilem propoſuiſti, Vir Conſultiſſime. Pace tua tamen, percontari diligenti perveſtigatione libet, quid generis? quid rei ſit iſta, ut vocas, vera eloquentia, cujus ſtudium promoves? Etenim permagni Reipublicæ intereſt, ut Rhetorica, vel Philoſophia, vel quævis alia facultas, deniq; & Grammatica, dum promovetur tanquam neceſſaria & vera; ne intrudatur inepta & falſa. Quid, ſi ego talem eloquentiam, quam tu ut veram prædicas, falſam eſſe oſtendero? Poſtulabiſne eam nova civitate donari? aut ſingulari privilegio, in Minervæ Capitolium evehi? Interfatur ille. Quî potes falſam probare? cùm, ſecundùm Te, Orator, niſi fuerit vir malus, non erit falſus. Inſimulationem refelli. Tales equi-

quidem falſos declamatores, Cicero INTERFECTORES REIPUBLICÆ vocavit. (r) Memorabilius verò eſt, quod libro 2do *de Officiis* dicit: *Quid tam inhumanum? quàm eloquentiam, à natura, ad ſalutem hominum & conſervationem, datam, ad bonorum peſtem perniciemq; convertere?* Cum hoc ſentimus. Dicimus tamen, non ex hoc ſolùm capite, ſermonis falſitatem oriri: ſed aliam eſſe Oratoris virtutem; aliam Orationis. Illum, virum bonum; hanc ſcientem, peritam, & ornatam eſſe debere. Ex utroq; vera coaleſcit eloquentia, qualem, cuivis Reipublicæ, verè neceſſariam eſſe ducimus, ut ſit Viri boni ſciens, perita, & ornata dictio: in alterutro deficiens, falſa erit. Cæterùm, quia reſtaurandum ipſum ſtudium eloquentiæ unicè premis; ſtudium autem omne, ex vera doctrina pendet; ſi doctrina, ſeu præceptio, & regula bene ornateq; dicendi, à veritate declinet & fallat; ſi inſtitutio, in docendo improbabilis, ſibiq; ipſi repugnans inveniatur; rectè talis Eloquentia tota falſa dici meretur.

Ad reſponſionem parùm inexſpectatam, tanquam Italo perfuſus aceto, (s) exſiliit. Obſcuras haſce Paradoxa loqueris, ait. Obſcuras haſce verborum ſtrophas abjice, & clarè ediſſere: quem

(r) Orat: *Quanquam.* poſt reditum. (s) Horatius.

quem tu Rhetorem tibi repræsentas? aut si uspiam est, cujus doctrinam falsitatis, ac repugnantiarum, coarguere vel possis, vel præsumas? Mox ego. Quanquam vulpinari nescio, nolim tamen incallidus videri. Quarè, quod efflagitas, non extricabis, non extundes. Sed, si aliquem Artis bene dicendi Doctorem deprehensurus es, qui Ciceronianæ definitioni Eloquentiæ, classicæ, & absolutissimæ, non dubitaverit suum pannum assuere; certus esto: illum esse, qui non Ideam veræ Eloquentiæ commolitur, sed Idolum falsæ. Nam fortè orationem splendidam ornatamq́; debere esse præfiniet. Hactenus bene: hoc Cicero vult. Tropis ergo illuminandam, figurisq́; distinguendam esse prædicabit. Planè quidem ita, dubium nemini est. Nam translationum nitore illuminandam orationem, atq́; in his maximum esse ornatum, monet Fabius. (*t*) Verbis translatis, quasi stellis illustrandam, (*u*) certisq́; verborum ac sententiam insignibus, & quasi luminibus variandam, monet Cicero. (*v*) Et hæc ipsa lumina designat, ubi, quid sit ornatè dicere? declarat. *Qui distinctè, qui explicatè, qui abundanter, qui illuminatè, & rebus, & verbis*

(*t*) L. 8. c. 2. (*u*) *Verbum translatum, maximè tanquam stellis quibusdam notat & illuminat Orationem.* Cic. l. 3. de Orat. (*v*) Orator ad M. Brutum.

verbis dicunt: & in ipsa Oratione, quasi quendam numerum versumq́; conficiunt; hoc est quod dico: ornatè. (*x*) Nullus est Oratorius numerus, nulla artificialis periodus, quæ figuris non constet. Figuris ut maximè supra modum assurgit, ornatur, armaturq́; Tullius: his triumphat, in his regnat. In translationibus verò quàm frequens, quàm splendidus sit? ex solis contra Catilinam concionibus, facilè discimus: ubi septingentas quadraginta octo verborum mutationes, sive tropos annotârunt doctissimi, & non obiter in Tullio versati explicatores. Inde concors est omnium Eloquentiæ Magistrorum sententia: non esse alium, qui sit aut usu frequentior; aut decore splendidior; vel ad magnificentiam præstabilior; vel ad vehementiam, vim, & virtutem svasionis, aptior artificiosi sermonis cultus, quàm Tropos & Figuras. *Namq́; & vim rebus adjiciunt: & gratiam præstant: suntq́; Orationis lumina, & quodammodo Insignia,* ait cum Cicerone, Fabius. (*y*) Quocirca, si aliquis novus dicendi artifex exstiterit, qui studio brevitatis abreptus, contrariam omnibus docendi viam inire, atq́; in talium ornamentorum demolitionem, conspirare voluerit; quid tam calido voto procreaturus sit?

(*x*) L. 2. de Oratore. (*y*) L. 9. c. 1.

ſit? quid parturiet tam prorupto jejuniſſimi laboris conſilio? Auſim dicere: Eloquentiæ cadaver excludet, ſine anima. Eatenus igitur rectè docetur, ſi ita.

Sed fortè idem quiſpiam, de quo mihi ſermo eſt, Doctor compendiarius eſt velocis compendii ſtudioſo, deflorata, omniq; elegantiarum lepôre circumſecta eloquentia, ipſi uſq; arridet: & propterea voces omnes & verba, non ad quod ſignificandum, inſtituta ſunt, ſed aliud ſonantia, tanquam falſa & impropria, reſcindit, improbat, damnat: illudq; Ariſtophanis vetus dictum, pro intemeranda lege, Rhetoribus occinit.

Faba eſt faba mihi: ficus eſt ficus mihi

Tropos itaq; à Cicerone tantopere commendatos, & omnes translatæ Orationis gratias, ab Oratore propulſat. Fort etiam is ipſe, Eloquentiam nonniſi ad naturæ, planè ac ingenuè animi ſui ſenſa explicare volentis, convenientiam, conformitatemq; reſtringet; ſecus, tumoris, obſcuritatis, affectationis ream faciet. Ergo inſuper etiam Figuras cùm Verborum, tum Sententiarum, quibus ſe Orator aliquomodo erigat attollatq;, proſcribet. Natura enim ad ingenuè & planè efferendos animi ſui

ſui ſenſus, figuratam non quærit dictionem, quinimo defugit.

§ 3.

Hìc iterum commotior peregrinus conviva, impedit me. Falſum eſt, quod dicis. Neq; enim abhorret à Figurarum exornatione, neq; omnem elegantiam reſpuit ſermo naturæ conformis: gratuitò id adſtruis & affingis, quod nunquam probabis.

Tendo ego adverſus, atq; rem ſic evidenter perduco. Sermo naturæ conformis, non differat neceſſe eſt, à communi, uſitato, quotidiano, ſimplici, & obvio fandi modo: talis enim ſermo, germanus naturæ eſt; & quacunq; ratione differet, jam diſcordabit, nec erit perfectè conformis & germanus naturæ. Debet igitur longè diſcrepare à figurata dictione: quia hæc, prout definit Quintilianus, *eſt quædam ſermonis conformatio, à communi, & primùm ſe offerente loquendi ratione remota*: (z) proinde à conſveto & ſimplici loquendi uſu aliena; adeoq; à naturæ accommodatione disjuncta. Sermonis naturæ conformis forma, natura eſt. Quomodo enim poſſit ſermo confor-

(z) L. 9. cap. 1.

formari naturæ, nisi in eandem formam conveniat? Figuratæ compositionis forma, non est natura. Omnis enim artificiosæ forma structuræ, adventitia est, ab arte provenit. Natura non provenit ab arte; non est igitur talis forma, quam induat affabrè figurata oratio. Comprobat Syllogismum Cicero: *Innumerabiles sunt dicendi formæ, specie dispares, genere laudabiles.* (*a*) Quid? Vir optime, an totidem naturas, specie dispares admittes? una species est, & ad ingenue explicanda animi sui sensa, in omnibus hominibus æquabilis est. Tandem sermo naturæ conformis, *nihil ultra verborum proprietatem elaborat*, ait Fabius. (*b*) Contrà: *Oratoris est ornatè compositè, copiosè loqui*, ait Cicero. (*c*) Totus ergo compositionis paratus, figurarum elaboratio, rerum verborumq; copia, competit arti, respondet arti, conformatur arti, non naturæ. Quis enimvero Mentor, quis Lysippus, cælaturam ebori assimilare studet, & non ebur cælaturæ? Sic ex ingenuis artibus, artificiosissima Eloquentia, quæ docet, ut loquitur Cicero, *dolare Orationem*: (*d*) naturam conformat arti, non artem naturæ. Quid ex Grammatico Ludo ad Rhetoricam educti Juvenes adferunt? Sermo-

(*a*) L. 3. Dial. (*b*) L. 12. c. 10. (*c*) L. 3. de Orat. (*d*) L. 2. Dial:

Sermonem, qualis naturæ congruit, ad regulas propriæ dialecti, animi sensa, rectè ac emendatè efferentem. Quid perdiscunt? quid acquirunt? quid reportant? sermonem arti elocutionis ornatrici conformem. Quid peccant? si non exactè ad leges Oratorias, exercitationem styli concinnant? peccatum contra naturam committunt? nunquam. Sed contra artem sæpè delirant.

§ 4.

Aliquo intervallo respiravi, dediq; partes adversario, si quid vellet opponere. Ecce autem ingessit se alius, de illo genere hominum, qui æquè facilè quidlibet aggrediuntur, atq; abjiciunt: & tantùm inter crateres, Socratici sunt. Bene ego didici: didici ego bene: hoc dico, bene didici. Orationem debere esse judicio naturæq; ingenuè sua sensa explicare volenti conformem: affectationis omnis expertem. Nemo mihi contrarium persvaserit. Jugulum ostento, & ad extremum spiritum, pro mea Rhetorica pugnabo.

Hominem non satis siccum, imprimis joco liberali perspersi.

Sexti-

Sextiliane, bibis, quantùm subsellia quinq;
Bis decies solus Sextiliane bibis.

Martialis.

Dein subtexui. Multam à Sextiliano hausisti facundiam, Nobilis Domine. Verùm, non à tali Magistro, leges dicendi accipimus Oratores. Non à Sextiliano, sed à Quintiliano lumen tibi petendum esse. Duo sunt, quæ in disceptationem adduxisti. Studiosa concinnitatis affectatio; & ab habitu naturæ, in eloquendo discessio. Utrumq; scitè expediet ac dissolvet Fabius Quintilianus. Dicit ille. *Quidam non esse naturalem eloquentiam putant, nisi quæ sit quotidiano sermoni simillima: contenti promere animi voluntatem, nihilq; accersiti ac elaborati requirentes. Quidquid adjectum sit, id esse affectationis, & ambitiosæ in loquendo jactantiæ: remotum à veritate, fictumq;. Deniq; antiquissimum quemq; maximè secundùm naturam dixisse contendunt: mox Poëtis similiores exstitisse, falsa & impropria, virtutes ducentes.* Vide, si non ex tua mente, omnia transnumerata sunt? Si quis tuam, quam mordicus tueri te professus es, Rhetoricam, libello mandare voluerit; non plus adferet. Sed vide simul, quid ipse sentit, quid respondet Fabius. *Mihi verò aliam quandam videtur habere naturam, viri eloquentis oratio. Cùm enim debeat delectare, movere, & in plurimas animum audientis species impellere; utetur iis quoq; adjutoriis, quæ ab eadem sunt natura concessa. Quapropter, ne illis quidem repugno, qui dandum putant nonnihil esse temporibus, atq; auribus affectatius aliquid postulantibus.* Agnoscis jam aliam hominis, aliam oratoris esse naturam? *Illa nihil ultra verborum proprietatem elaborat; hæc verò efficit, ut alius alio magis dulcis in eloquendo habeatur.* (e) Agnoscis jam affectationis laudabile studium? Sed accipe clariora. Laudat Fabius genus eloquentiæ *ostentationi compositum.* (f) Laudat Cicero *dulce orationis genus, non pugnæ, sed pompæ aptum.* (g) Aliudne tibi significare videtur ostentatio & pompa, & aliud affectatio? Si lexicum, si Grammaticos consulimus; significatione idem sunt: sicut ensis & gladius. Vel ergo affectationis odio, omnem ab Oratore pompam, magnificentiam, ostentationemq; excludis? & sic Ciceroni Fabioq; inimicus es. Vel si hos Magistros, eorumq; doctrinam reverenter observas; affectationis aliquam speciem non esse à vero Oratore alienam fateare. Jugulumné etiamnum ostentabis? in confessum tibi jam venisse reor hanc veritatem. Non

(e) L. 12. c. 10. (f) L. 8. c. 3. (g) in Oratore.

Non igitur lasciviet Oratio tua, si perarguta venustate dives & præculta fuerit. Neq; inopiâ judicii laborabis, Magnifice Domine Rhetor, si ad genium temporum & aurium, quæ translatis & alienis verbis multò magìs delectantur, quàm propriis, ut Cicero prodidit; purum autem omne, propriumq́; pro vulgari & plebeio fastidiunt, sermonis tui lenocinium construxeris. Non etiam Tibi metuendum est, ne, si splendore styli exquisitè comptus fueris; non secundùm naturam eloquentissimus evadas. Habet naturam Viri eloquentis oratio, sed aliam, sed singularem, sed à vulgari sermocinatione remotam: doctrinæ, ingenii, & artis præsidio comparatam. Tu tibi fingis Oratorem, si se supra vulgi Minervam sublimiùs nonnihil extulerit, illico ab habitu naturæ diffidere? Attende Fabio dicenti: *Id maximè naturale est, quod fieri natura optimè patitur.* (*h*) Imprime benè in animum, hanc sententiam, atq; ex nobilioribus artibus, ostende mihi vel unicam, quæ concinnationi ad summam operis elegantiam, non operosè, non affectatè studeat? Ex prospectu aulæ istius, objicit se hortorum topiaria. Quantas ex silvestribus arbusculis, ex agrestibus herbis, ex aqua-

(*h*) L. 9. c. 4.

quarum salientium lusibus, quantas ingeniosæ pulchritudinis non elaboravit voluptates, studiosa gratiæ consectatio! Natura ergo, comptioris accuratione formæ, corrupta atq; pessundata est? Quinimo perficitur, porrigitur, collocupletaturq́; mirificè. Idem pro florido argutoq; stylo, pro cincinnis oratoriis, pro quæsitæ compositionis pompa, argumentum esto. Dicit enim Cicero: *Hæc res, quæ vocatur Eloquentia, sive ars, sive facultas, à natura profecta est.* Et ideo, *Id maximè naturale est, quod fieri natura optimè patitur.*

§ 5.

Jam propè profligatæ & lapsæ causæ, opitulari volens prior ille, quem descripsi, ignorabilis vir, opposuit se. Quid ergo præstabit natura in opere eloquentiæ? Si naturæ non conformabitur oratio; igitur pugnabit cum natura. ,,Naturam in-,,tueamur, monet acutissimus Auctor Po-,,pe, quæ & sibi constans est, & nullo er-,,rore implicatur: quæ suo Divinitus lu-,,mine effulget, & rebus omnibus vitam, ,,vires, & pulchritudinem impertitur: so-

 ,,laq;

,,laq; omnium artium principium, & finis, ,,& certa norma judicatur.

Excussa levi repulsu fallacia est. Cælatus lapide Cicero, si formâ non respondet lapidi, pugnabit igitur cum lapide. Non pugnat, quia simulacrum Ciceronis, sive ære fusum, sive Pario marmori inductum, neq; pretium metallo adimit, sed incendit, sed amplificat; neq; nativum marmoris obtundit candorem, sed excitat. Sic lenocinio artis Oratoriæ præculta natura, natura est, sed politiùs ad ungvem elimata, sed formam pulchritudinemq; artis induta, elegantior, venustior, & quasi dissimilis sui.

Quantùm verò non hebes, nec sterilis, sed nobilioribus bonis dotata natura, quam Tu, ex Popæi graphicis nugis, *Divini luminis plenam, nullis erroribus obnoxiam, pulchritudinis & vitæ rerum omnium procreatricem, omnium artium Ideam Platonicam, primum & ultimum, Principium rerum, & finem,* atq; adeò Deum facis, quantùm ad Eloquentiam contribuat? silebo ego, docebit autem nos, non aliquis terræ filius, non ex Novatorum grege, nuperrimè Londini exortus, novus opinator, novus homo POPE; sed docebit, Popæiq; impietatem castigabit Fabius Quintilianus. Quærit ille Lib: 2. c. 19. Utra plùs conferat eloquentiæ? Ars, an Natura? Atq; Naturam Materiæ, quam *Subjectum* vocant Philosophi; Artem comparat Formæ, dicens. *Nihil ars, sine materia; materiæ etiam sine arte, pretium est. Sterili glebæ, nihil optimus agricola profuerit; at in fæcundo solo, multùm ipsa per se bonitas soli; plùs cultor efficiet.* Phidiæ, Minervæ signum, elegantius cernitur in gemma, quàm in molari pervili saxo: præstantiâ materiæ, non præjudicio formæ. Sic inquit Quintilianus: *Natura, Materiæ; Ars, Doctrinæ est. Hæc fingit; illa fingitur. Ars summa; materia optima, melior.* Si verò ex Popæi oraculis sapiamus, atq; naturam respiciamus, tanquam ideam & formam eloquentiæ; omnes rusticissimos, quotquot naturæ lumine præditi sunt, necesse est veros oratores esse. Quid enim? non conformiter ad naturam diserti sunt? aut sermo illorum pugnat cum natura? convenientissimus naturæ est. Deniq; quid nomine naturæ, tuo cum Pope intelligis? Vel naturam Universi? & hanc depingit Pòëta.

Frigida pugnabant calidis; humentia siccis.
Ovid.

Tam multiplex enim discrepantia & pugna est naturarum, quanta creaturarum. Talem eloquentiæ normam, si tibi præscribis; applaudimus. Fies enim Orator, primis & principalibus conspicuus naturæ qualitatibus: Figidus, & calidus: humidus, & siccus. Vel eam, quæ cæteris præstat, scilicet humanam accipis? Et hìc, ne aliam frustra respiciamus, tuam, quæ pænè humanâ major est, appello. Tantumne tibi in acceptis refers? ut te, omni lumine Divinitus circumfusum, nulli penitus errori succumbere posse, rebusq; omnibus vitam & pulchritudinem largiri præsumas? Ride, ride excordem, acutissimi Popæi, mentis valetudinem: ocyùsq; in castra Ciceronis concede, qui te sic docet: *Naturæ & voluntates, quàm variæ sunt; tam multùm inter se distantia efficiunt genera dicendi.* (i)

Habes vir ornatissime, pluribus argumentis conclusam veritatem. Et cùm ad formandam eloquentiam, duæ res, natura & ars, concurrant non aliter, atq; ad depingendam aliquam speciem, tabella rasilis, & colorum inductio; vel ad exsculpendum aliquod Signum, ductilis lamina, & scalprum; si artem sermonis ornatricem, à naturæ genuino vultu ritè distinxeris; subscribes invincibili rationi. § 6.

(i) Lib. 3. de Oratore.

§ 6.

Tam illustri evidentiæ, obstat adhuc extraneus Disceptator. Non audio, inquit, neq; subscribam, nisi tam probatæ, tam commendabili eloquentiæ, proh nefas! falsitatis, quam objecisti notam, inductione, omni luce clariore, commonstraveris. Sed citiùs cotem novaculâ scindes, quàm hìc aliquid obtinebis.

Suscipio conditionem, atq; id ipsum è vestigio dicere aggredior. Scindo cotem novaculâ. Talis, qualem proposui, bene dicendi Magister, quisquis est; quisquis, inquam, est. Nam si à me expalpare vis, quisnam sit ille? dicere nescio etiam id, quod dicere scio. Neminem obtrectare volo, neminem ostendo. Sed fortè sua se luce prodit, qui publicus est.

Monstratur digito prætereuntium,
Romanæ Fidicen Lyræ.

Horat.

Fortè, quem oculis tuis familiarissimum habes; quem non minoris, quàm te ipsum æstimas; hic est, quem ego nescio. Quicunq; demum sit, omnia ornamenta, &

& vera lumina, oratori aufert; attamen splendidum ornatumq; esse vult. Quo? Non verborum, non sententiarum mutationibus & figuris, ut jam luculentè demonstravi: non esse autem aliud, Oratoriè dicere, nisi plerasq; vel omnes, aliqua ex his, specie illuminare sententias, edixit Cicero. (*k*) Quo igitur illuminabitur oratio? quâ Specie? Forsitan vocibus verè Latinis. Stat contrà dicitq; Tullius. *Ipsum latinè loqui, est quidem in magna laude ponendum: verùm id non tam boni Oratoris, quàm Civis Romani est.* (*l*) Nimirum, pura & emendata latinitas, optimorum Grammaticorum, quales *L. imo.* à teneris unguiculis informat Quintilianus, vera laus est. Optimum verò Oratorem, ultra hæc, alia colorant, alia commendant, alia discriminant ornamenta.

Quocirca, talis doctrina, manifestò sibi contradicet: deposcet orationem ornatam simul & inornatam: splendidè illuminatam, sed veris splendoribus orbam: magnificam, sed ab omni pompa nudam: figuratam, sed simplicem: ne scilicet verborum phaleris, ne sophismatibus obscuretur. Artificialiter structam, sed simul inartificialem; quia non exquisitiùs ad figuram & ele-

(*k*) In Oratore. (*l*) in Bruto.

elegantiam Artis, sed ad naturæ amussim, illepidè contextam: naturæ, sine omni artis fuco, sincerè sese explicare contentæ, planè consentaneam. Idem adstruet, & destruet: falsa ornamenta ducet in veris, & vera in falsis. Adeoq; quot contrarietatibus repugnantiisq; scatebit, tot falsitatibus laborabit, docebitq; falsum. Quin etiam, dum sibi non cohærentia statuit, dum pugnantia, disjuncta, disparata, insociabilia præscribit; se ipsam jugulat & tollit: atq; ita docebit nihil.

Satisne clarè? sat vivis coloribus, tibi sub oculos posita est falsæ imago eloquentiæ? quid sentis? dic incallidè: sine ambagibus edissere. Tandem personâ detractâ, sincerè aperuit sententiam suam. Assumptionem ita perfectè declarâsti, ut etiam cæcis perspicua sit. Luculenta res est, & diffiteri nequeo: triumphat assumptio tua. Talem enim mihi Rhetorem adumbrâsti, quem si mihi velles ostendere, contortam olim contra Antonium, à Cicerone, Hastam, in Oratoriis lacertis, in hunc verterem. *Tecum pugnas, & non modò non cohærentia inter se dicis, sed maximè disjuncta, atq; contraria: ut non tanta mecum, quanta tecum tibi sit contentio.* (*m*)

Faten-

(*m*) Philippi 2.

Fatentis assertionem, commodè ego interverti. Siquidem agnovisti doctrinæ falsitatem; non flagitaturum te ultrà præsumo, ut talis studii restaurationem, operæ pretium faciamus. Sed, quod magìs è Republica est, ut oratorii libelli, indigestæ cogitationis impetu, confidenter effusi, Tullianis, Fabiiq; institutionibus, ex toto contrarii, doctrinis evidenter falsis referti, qui nec acuere ingenia, nec alere veram eloquentiam possunt, ne ultrà imperitæ juventuti fucum faciant, tenerasq; adolescentûm mentes, veri falsiq; ignaras, ne in naufragium veræ eloquentiæ adducant, te viriliter, omni ope, consilio, labore, auctoritate obstiturum: talesq; dicendi novos opifices, ne diutiùs Rempublicam inficiant, procul in Gyaras amandaturum. (*n*)

§ 7.

Post nonnullam cessationis moram, non diu conquievit idem ipse Hospes, sed iterum his me convenit. Videris tu mihi, propositum meum nondum assequi potuisse: ac ne quidem à limine pervidisse destinationes meas, quid ego volo? Interjeci

(*n*) Insulæ Archipelagi sunt, in quas, Romani, noxios relegabant. *Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum, Si vis esse aliquid.* Juvenalis.

jeci postulationem. Ut optimis propositis tuis adminiculari saltem digito valeam, quæso, fac me compotem arcani consilii tui. Ille, ut erat totus in venditandis peregrinitatibus defixus, sic incipit. Mea ratio est, & hoc unum persvadere contendo, ut in hoc nobilissimo Regno, ritu & exemplo aliarum nationum, nova Literatorum Societas erigatur, quæ novum scientiarum Orbem componat. Ubi, rescissa Grammaticarum observationum inexhausta multitudine, & turbâ regularum excisâ Præceptorum Rhetoricorum inextricabili sylva; Aristotelicis Scholasticorum tricis, & nugis, penitus exturbatis; omnes Artes Liberales, singulari selectione tractentur, succincta, plana, & expedita brevitate doceantur, & ad veram laudem, veræq; ut ita dicamus, laudis gustum revocentur, excitentur, exerceantur. Quid in tali consilio non utile? Quid improbabile? Quid non optimum? Quid verò animos vestros avertit à consectatione tam plausibilis & gloriosi studii?

Differenti aurem adhibens, labra dentibus commordi: etiamq; ita, bullientem splenem continere vix potui. Visum est tamen docta simulatione, magìs quàm jocatio-

catione, reſponſionem adornare. Dixi ergo. Quàm profundè, quàm procul à fronte recondita ſunt cogitata tua! Cuinam vel acutiſſimæ humanæ ſagacitati, ex inductionibus tuis, ſubolere potuit finis iſte, quem intendebas? Ego parum acuta nare, vix nunc primùm olfeci, quò tandem reſpiciebat illa tua per Italiam, Galliam, Belgium, Germaniam, Roſſiam, vagabunda excurſio. Euge, arcanè argutus es! De ſolis eloquentiæ vitiis prolocutus, neſcio quomodo de omnibus ſimul ſcientiis, uno judicio pronunciâſti. Quis tam ſubtilem argumenti connexionem par comminiſci fuerit? niſi cui omnia ingenia præſtò ſint. Huc igitur curas verto, ut, quæcunq; ad propoſitum tuum accommodatiſſima fore videro, nihil diſſimulem, nihil non liberè proferam. Sed, ne à propoſita materia egrediamur; mittamus interim in aliud tempus Grammaticos, & Philoſophos. Emendandæ eloquentiæ, &, ut ait Cicero, (o) ad veræ Laudis guſtum revocandæ, rationes, unà conferamus, unà diſcutiamus. Circa quod punctum, imprimis quædam certa, & indubitata, nobis ſtatuenda ſunt. Certum eſt, ad veram laudem eluctari non poſſe, niſi veram Eloquentiam, Quis enim falla-

(o) Facinoroſi, avari, libidinoſi, veræ laudis guſtum non habent. *Cic: in Anton: Philipp: 3.*

fallaci, aut falſæ loquentiæ, aliquam laudem tribuerit? Si ergo manifeſtè & quaſi oculis comperies, quòd erigendæ novæ Societatis Eloquentia, non ſit futura vera, ſed falſa? in caſſum tela jactas, perdis laborem. Id verò mihi declarare, non eſt Herculeus nodus: non adibimus Corinthum, ut intelligamur. Extra Controverſiam tibi eſt, omnem artem veram, ex præceptis conſtare. Sic enim à Cicerone definitur. *Ars eſt, quæ dat præcepta faciendi aliquid, ſeu quaſdam errare non patientes vias.* (p) Præceptis igitur ars vera conſtituitur: ea ſiquidem ſunt, quæ ſcientem falli, & errare non patiuntur. Quantò verò Ars eſt præſtantior, ſublimior, magisq; ſpinoſa; tantò pluribus doctrinis, regulis, & legibus certiſſimis, & nunquam fallentibus, inſtrui ac informari indiget. Quibus ſi deſtituatur; peccabit, vacillabit, offendet: adeoq; falſa erit. Aliquem fortè cerdonem producet, ſed non præclarum eximiumq; artificem. Eloquentia quid eſt? Ars eſt bene ornatèq; dicendi, & nobiliſſima quidem, atq; perdifficilis. Id ſi nondum cernis? ſi etiam ambigis? Cicero tibi oculos configet, crebriùs inculcans. *Eloquentiam, rem unam eſſe omnium diffi-*

(p) De Claris Oratoribus.

difficillimam. Ex quibus enim quinque partibus constare dicitur, earum unaquæq; est ars ipsa per sese. Quibus in singulis elaborare, permagnum est. (q) Habes jam evidens utrumq;, Eloquentiam, & esse artem, nec illam unam, sed multiplicem, & esse difficillimam. Nisi igitur fuerit Tullianis præceptionibus locupletissimè apparata; non erit vera, sed falsa. Hæc literatorum Societas, quam tu promoves, qualem Eloquentiæ ludum introducere meditatur? argumento patet. In excisionem radicitus Tullianarum præceptionum conspiravit. Meditatur itaq; artem, sine arte. Inducet Rhetoricam, præceptis Oratoriis spoliatam, truncam, laceram, nudam. Adhucné non mendosam, non vitiosam? non falsam, non spuriam existimabis? Ego nec micâ veræ laudis, dignandam judico.

Alterum est, quod pariter pro explorato suscipies. Veræ laudis gustum, pendere ab approbatione auscultatorum: Acroasim Cicero vocat. Nam, si tuo tantùm cerebro, tuam regustas facundiam, fastidientibus aliis; deridendum te propinas. Et quemadmodum Cocus, Domini debet habere gulam, ut ait Pòëta. (r) Sic Orator, auricularum Concionis. Omnium ingeniorum

(q) De Oratore L. 1. & 3. (r) Martialis.

rum stomachis deservire, & voluptati aurium morigerari debet oratio, inquit Cicero: (s) ut veræ laudis gustum eliciat. Id verò pertendere quàm sit difficile, non te præterire potest. Scis enim suam cuiq; hominum salivam esse. Quod uni prædulce & admirabile; alteri tanquam putidum, exsuccum, & insulsum habetur. Quod iste acre ac delectabile sentit; alius velut cibarium & umbraticum rejiciet. Quantis igitur scitamentis concinnari, quot lenociniis imbui, quibus jucunditatis, salis, saporis, elegantiarumq; illecebris redundare fas est Eloquentiam, quæ degustata cuilibet sapiat? quæ in omnium mortalium animos, delectabiliter influat? Hoc verò navare pollebit, nova, quam moliris, universalis Palæstra? Quî id vel cogitatione fingere possis? si præcepta Artis Oratoriæ, quæ plurima sunt, reprobat, abjicit, & in crimen vertit; re ipsa, doctrinas omnes condecorandi, illuminandi, elimandi, atq; ad gratiam svavitudinis, benè cocti & conditi sermonis scientiam amittit.

At certè, opponit ille, non ex vano, veræ laudis gustum, animo præsumit. Venio contra. Liceat mihi apud te dicere, quod sentio. Sit aliquis difficilis herus, qui

(s) in Oratore.

qui suo culinæ ministro significet: velle se quotidie lautè, splendidè, & delicatè vesci: hoc ipse velit curare diligenter: hac tamen lege imperata, ut nihil adscititii condimenti habeant cibi, nihil quod dulcedinem vel acorem sapiat, nihil quidquam etiam de sale; sed omnia, solo duntaxat naturali sapore, esculenta madida sint. Talem herum, nunquid non cerebrosum putaret opsonator? Scilicet: quin & Anticyram illi navigandum esse. (t) Comparatione supersedeo. Quâ enim augurali acie mentis es; si dimidium dixi, jam tu omnia comprehendisti.

§ 8.

Nondum ab inceptis resiliit, persvaderi durus, suiq; sensûs pertinax homo. Eloquentiæ gustum, In auditorio constitueram: hoc ipse non sustinet. Quid ego auscultatorum Judicium curem? ait, qui plerumq; vel parum scioli; vel imperitissimi de vulgo sunt. Si sapientûm Virorum trutinâ, & suffragio, comprobata fuerit nova hæc tradendæ Rhetoricæ Inventio? hoc mihi palmarium duco.

Vanas

(t) Insula est; ubi Helleborum in copia nascitur, & tutò sumitur. *I, bibe purgantes pectora succos, quidquid & in tota nascitur Anticyra.* Ovid.

Vanas ipsius animi pollicitationes, sic repressi. Jam ergo ad aliud forum evocas te, & me: bene est. Adeamus tribunal Sapientiæ. Sed ante omnes, maximum Quæsitorem Tullium. Quid ille statuit? *Necesse est eum, qui ita dicat, ut à multitudine probetur, etiam doctis probari. Nunquam de bono Oratore, aut non bono, doctis hominibus, cum populo, dissensio fuit. Id ipsum enim est Summi Oratoris, summum Oratorem Populo videri.* (u) Non satisfacit tibi, nec satìs fortè sapit, Ciceronis enunciatio? Quæramus ergo Viros doctiores. Illos videlicet Literatorum cætus, quos tu, plurimâ laudis adoreâ cumulâsti. Puta, vel finge me, novam tradendæ eloquentiæ methodum, qualem tu meditaris, priùs animo concepisse, deinde evulgâsse. Isti doctissimi viri, quali fronte excipient mea, rei oratoriæ lineamenta? explicatâ & benevolâ, an frigidâ & contractâ? Quo animo? congratulante, an fastidiente? Probabunt fortè emendatam utcunq; latinitatem: fortè etiam verborum accurationem, ut superstitiosam & supervacaneam, vellicabunt. Orationem verò, si non translationibus elevata fuerit; si vibrantioribus figuris non resplenduerit; si nullibi in sensus

argu-

(u) de Claris Oratoribus.

argutos, ſubtiles, graves, delectabiles, inexſpectatos, aſſurrexerit; tanquam humilem & depreſſam, in levi habebunt. Fortè nec temperabunt ſibi, à durioribus conviciis, & cenſuris. Vituperationes, aſpernationesq; meas, quibus vapulabo ab iſtis Sapientibus, quaſi jam nunc cernerem, ita cogitatione præcipio. Abi in malam rem, cum tali Rhetorica! Alium tibi orbem quære: nobis, Plinius Secundus, Magiſter eſt. Deſcriptionem Oratoriæ, longâ vocularum catenâ, verborumq; catervâ enormi, extra modum, offertiſſimam texuiſti? Omnes ille, circumſcriptæ eloquentiæ tuæ cancellos frangit, evellit, diſſipat, tollit. Docet ſiquidem. ***Laxandos eſſe eloquentiæ frenos: nec anguſtiſſimo gyro, ingeniorum impetus refringendos.*** In eliminandam ab omni ſoluta oratione, Pöeticam audaciam, perdito labore incubuiſti? Repercutit doctrinam tuam, Novocomenſis Rhetor. ***At enim alia eſt, ajunt, conditio Pöetarum. Quaſi verò Marcus Tullius minùs audeat? Hunc omitto, neq; enim ambigi puto: ſed Demoſthenes ipſe, norma Oratoris & regula: quid illo audentius?*** In caſtigandam, tumoris prætextu, elevationis ſtyli magnitudinem; in elidendas phaleras, verborumq; pompam retundendam, omnes

omnes animi vires profudiſti? Temeritatis te redarguit Noſter Secundus. *Vide, quantò major ſit qui reprehenditur, ipſo reprehendente: & major ob hæc quoq; vitio data: nam in his granditas ejus elucet.* Prolapſiones meliorum à te Rhetorum, ſexcentis obeliſcis, liberaliter ac immeritò, confodere attentaviſti? Suâ te configit ſententiâ Magiſter Plinius. *Tutius quidem per plana, ſed humilius & depreſſius iter: frequentior currentibus lapſus, quàm reptantibus. Sed his non labentibus, nulla laus; illis nonnulla laus, etiamſi labantur.* (v) Taliter in illo Sapientiæ Concilio exceptus, & mulctatus, quem ego clypeum ſumam? Conabor ex adverſo, meum etiam Ajo viciſſim expromere? ſtrangulabunt vocem meam, vocibus Ciceronis. QUID ERGO AJUS ISTE LOQUENS? (x) Quid garrire vult? Quid cornicatur iſte AJUS? Quaſi ego id curem, quid ille ajat. Quòdſi adhuc meas orationes, frigidæ jejunitatis; meas, purgatiſſimi à vitiis ſtyli, formulas, pervulgatæ,

(v) Totum id legitur Eplâ 26. Libri 9ni.

(x) Scribit Cicero. Olim Romæ audita eſt vox monentis, ut providerent, ne à Gallis Roma caperetur. Ex eo. AJO Loquenti Aram, in nova via conſecratam. Hunc AJUM, idem ipſe ridet Cicero. *Quid ergo Ajus iſt. loquens? Quando eum nemo nôrat; ajebat, & loquebatur, & ex eo nomen invenit; poſteaquam & ſedem, & aram, & nomen invenit, obmutuit.* l. 2. de Divinat: Livius & Florus, Locutium vocant.

tæ, humilis, & obscuræ simplicitatis; meas ratiunculas, sophismatum; mea documenta, discordiæ; meas sententiolas, repugnantiarum convincere ac damnare institerint? Quid consilii capiam? Unde mihi suppetiæ? unde vindiciæ? A tota Sapientûm corona reprehensus, explosus, pulsatus, extrusus, in eam tandem prolabar fortunam, ut relictâ in acie parmulâ, etiam hastam inglorius compellar abjicere: nihilq; operæpretii, ex hoc curriculo, periculosæ aleæ pleno, reportaturus sum, præter illud contritum vetustate, sed verè aureum dictum: *Sapienti, ne digitum quidem movere temere Philosophia permittit.*

Ex his omnibus, probè percipis falsitatem novæ eloquentiæ: facilèq; veloci ingenio assequeris, quas prodidi, & quas necdum prodidi causas, quæ ab ejusmodi novi studii, sive ambitione, sive æmulatione, quemlibet sensatum retardare valeant, & avocare. Mihiq; persvades, ut credam: omnes, si quos olim concepisti, excitandi novi istius Literatorum Ludi stimulos, à me integrè hebetatos esse, & te, integrè labefactos, deseruisse.

DISSERTATIO III.

De Studiorum noxia brevitate.

TAli sermonum luctabamur conflictu, binos per epularum missus. Ad præsens verò, permolestæ contentioni, remissio facta est, posteaquam principales Convivæ, aliam disceptandi materiam instituerunt. Simul enim cum secundis mensis, cæptus sermo est de Civili Regnorum statu, de Principatu & Monarchia, de Aristocratia, Democratia, de optima administrandæ Reipublicæ ratione. De causis belli, quod Europam fœdissimis cladibus involvit. Et plurima ejusmodi, ex scientia Politica, cordatè, sententiosè, graviter, argutè, copiosè disseruerunt, non sine ingeniorum diversa opinantium, mutuo dissensu & oppositione: aliis pro unius dominatu; aliis pro libertate populi, pugnaciter decernentibus. Nec deerat, qui tenaciùs in ea mente persisteret: supremum regiminis clavum, ad Prin-

cipem; & temperationis habenas, ad ſolos Dynaſtas coarctari debere. His, utpote ab inſtituto meo alienis, neq; immiſcere me, neq; aurem immittere volui. Ne tamen ſederem otioſus velut Umbra; captabam occaſionem ineundi ſecretioris colloquii, quæ ſe citò obtulit. Adverti enim vacare accubitum, hoſpiti illi peregrino vicinum: eò, quòd compranſor aliquis, inobſervatus triclinium reliquerit, clanculum, ex conſpectu omnium evaneſcendo. Adverti illum ſedere tacitum, ob imperfectam linguæ noſtratis peritiam: neq; enim poterat facundè, & expeditè ſermonem facere, idiomate, quo patrio Magnates inter ſe commentabantur. Quo cognito, ſtatim proripui me, & vacuam ſedem, ignoto illi hoſpiti proximam occupavi. Juxtà aſſidens, poſt delata honoris officia, ſignificavi me, ipſius conſvetudinis ſtudio, tenerrimè teneri: & niſi in ſinum familiaritatis admiſſum, conquieſcere me non poſſe. Gratiſſimum id ſibi accidiſſe teſtatus eſt: cæpimusq; ſine mora, inter nos, varia conferre, fidenter, placidè, ſummiſſa voce, ut ne tertius audiret.

§ I.

§ I.

Dic mihi, ajebam, ſcientiſſime Domine, nec enim facilè aſſequi poſſum, quas tu literatorum hominum Societates, in Belgio, Germania, Roſſia, inſtitutas dilaudâſti? Fortè Lovanienſem, Duacenam, Mechlinienſem, Gandavenſem, Antverpienſem, Bruxellenſem, vel aliquam aliam in Belgio Catholico. Rectenè ſuſpicor? Non rectè, inquit. Ergo fortè Belgii fœderati, ſeu Batavicas Societates intelligis. Sed non credo: horret animus meminiſſe: Calvinianæ ſunt. Crede, ait: Non falſus conjector es, cribro divinâſti. At verò in Germania, fortè Viennenſem, Pragenſem, Dilinganam, Moguntinam, Monachienſem, Colonienſem, Olomucenſem, vel aliquam ex Catholicis Doctorum Societatibus ſuſpicis? Nullam ex his, reſpondit. Conjecto itaq; illa Tibi maximè probari Gymnaſia, quæ ſibi errorum omnium Magiſtri, pravorumq; dogmatum ſatores, per Germaniam conſtituerunt, & recèns Petroburgi in Ingria. Nunquid non in ipſis Tibi pulmonibus hæſit jaculum? Rectè ictum perlibrâſti, dixit: ipſa res eſt, quam tangis. Cui ego, Apage te,

ge te, cum talibus Societatibus! solus eas prædices, ames, consecteris, & æmuleris, licebit: me nunquam æmulum habebis. Poscit ille: quid ita? Refero ego. Quid ita? Non satis est, quòd Hæreseos spiritu fanatico afflatæ sint? Puderet me profectò talium Societatum. Vana tu superstitione tangeris, arguit. Quid interest? dum bene docent. Requiro: qua ratione bene docent? fortè antiquissimum, aurei sæculi tradendarum disciplinarum Consilium, quasi postliminio resuscitârunt. Non, inquit: sed novam quandam studiorum rationem aperiunt, atq; omni asperitate fracta, ad omnem eruditionem adipiscendam, vias planas faciunt, ac expeditas. Excepi verba: novam studiorum rationem aperiunt? omnia itaq; apud illos studia novitia erunt. Novitia Grammatica, Novitia Rhetorica, novitia Philosophandi scientia. Nunquid antiquitas deliravit? Nunquid aureum illud scientiarum sæculum desipientiæ convictum est?

Hìc ille ferventiùs disserere cæpit. Non desipientiæ, sed tyrannidis vos accusant, qui nobiles adolescentes, tam multa regularum farragine, tantisq; nugarum difficultatibus obruitis, ut non se ad jucundam studiorum culturam vocatos, sed ad horrida ferarum lustra, ad ærumnas, ad dolores, & tormenta damnatos, haud injuriâ arbitrentur. Prædictæ verò Societates, sine præceptionum inexputabili caligine, sine ulla juventutis afflictatione, sine exigendo severissimè, quod pueris molestissimum est, quotidiano memoriæ penso, extemporales creant Grammaticos, Rhetores, Philosophos, Chronologos, Geographos, Geometras, Astronomos, atq; etiam vel fungos & stipites reddunt Musis & Apolline dignos.

Placidè hominem pertractavi. Ah ne sævi tantopere, gratiose & affabilis Domine: mitiora loquere, rogo. Non opus est pueros docendos, mox Philosophos reddere, monet Aristoteles: Nunquid adolescentior ætas, tam facilè bona studia & artes liberales exhaurire potest, ut Vinum Bacchus? Tenera ingenia, angusti oris lagunculæ sunt, quibus pretiosus scientiæ liquor, guttatim & ductim invergendus est: si celeriusculè opplere vis; fauces obstruis: oleum & operam perdidisti; illæ, ut antè, inanes manebunt. Sed quo juvantur? unicè ferè juvantur memoriâ. *Omnis disciplina memoriâ constat: frustraq; docemur, si quidquid audimus, præterfluat.* ait Quintilianus.

lianus. (y) Memoria verò quo præcipuè firmatur? *Firmatur & alitur exercitatione, & in rudibus annis, ferè sola est, quæ juvare curam docentium possit* ait idem (z) Quarum tu præco es, Societatum discipuli, fortè otiosi erunt à perdiscendis explicandisq; grammaticis regulis, exceptionibus, appendicibus; otiosi à condiscendis tropis, figuris, periodis, aliisq; Ciceronianis præceptionibus, otiosi à cura reddendi memoriæ exercitii; otiosi à metu corripiendæ castigandæq; indiligentiæ. Non aliter ergo studia decurrent, malè feriati juvenes, nisi quomodo populus frequentat comica circulatorum theatra. Spectat, audit, probat, ridet, miratur: clausô prosceniô dilabitur, & cuncta oblivione obterit. At verò temporibus Horatii:

Multa tulit, fecitq; puer, sudavit & alsit;
Et didicit prius, extimuitq; Magistrum.

Neq; enim persvasi esse debemus, Artem Grammaticam, paucis admodùm Syntaxeos regulis comprehendi, condisciq; posse, quam antiquissimi illi, Romanæ linguæ, Romani Magistri, admodùm fusè, perdiligenter, minutatim, laboriosissimèq; pertractarunt, atq; alii pedestri sermone; alii, commodo puerilis memoriæ auxilio, carminibus prosecuti sunt, & ad posteros transmiserunt. *In omnibus*

(y) L. 11. c. 2. (z) L. 1. c. 1.

bus enim artibus fit, ait Cicero, *ut ingenio, doctrinâ, præceptione, natura nitescat.* (a) Quantò autem ars notione difficilior est; qualis est ars latinitatis, lingvæ, ut vocant, mortuæ, quæ nulli Nationi vernacula est, nulli Genti nativa; tantò pluribus regulis, observationibus, additionibus, explicationibus circumscribi debet: quæ cuncta, à docili pueritia, devoranda sunt. Horum autem omnium novella insitio, ut perseveranter, multisq; fibris radices agat; opus est intempestam hyemem non unam ferat sativa teneritas: opus est Zephyris & hirundine multa. (b) Audi de arte Grammatica, Fabii judicium. Professores illos, quibus curta supellex Grammaticæ institutionis probatur; & quibus, ut loquitur Horatius, in imbuenda literis pueritia, curto ire placet mulo; exauctorandos esse censet, tanquam oneri Scholæ ferendo, par pro merito, collum non habentes. *Minimè ferendi sunt*, ait, *qui hanc artem, ut tenuem ac jejunam cavillantur: quæ vel sola, in omni studiorum genere, plùs habet operis, quàm ostentationis. Quæ nisi Oratori futuro fundamenta fideliter jecerit; quidquid superstruxeris, corruet.* (c) Quid enim præcipiti sua brevitate, ad literaturam commodant? immo quid non incom-

(a) L. 3. Rhet. (b) Horat. (c) L. 1. c. 4.

commodant? pariter ex Quintiliano audies. *Ambitiosa festinatione, à posterioribus incipiunt, & dum ostentare discipulos circa speciosa malunt, COMPENDIO MORANTUR.* (d) Parum dixit, etiam in brevia & Syrtes propellunt. Quæ cùm ita sint; nihil aliud certius moliri mihi videntur, isti breviarii, curtæ doctrinæ Magistri, quàm, ut Respublica neq; bonos Grammaticos, neq; bonos Oratores unquam habitura sit. Nam temere & cursim jacto, labili fluxoq; fundamento; *quidquid superstruxeris, corruet.*

Id ipsum multò magìs tenendum est de arte Oratoria, quæ adeò non citò parabilis est; ut, si Tullius non deliravit, nihil in hominum genere rarius perfecto Oratore inveniri possit. (e) Hanc ille artem, quatuordecem libris copiosè explicans, mole præceptorum, admodùm onustam reddidit. Quidquid de Inventione, Dispositione, Elocutione, Partitione, Periodis, Numeris, Translationibus, Amplificationibus, Figuris, de multiplici varioq; Eloquentiæ charactere, certisq; dicendi mysteriis docetur: &, ut credas sine Aristotelis rationali scientia, solidum absolutumq; Oratorem evadere neminem posse; quidquid de Argumentis à Definitione, ab enumeratione partium,

(d) Ibidem. (e) L. 1. de Oratore.

tium, à Genere, Specie, Formâ, à Causis & Effectis, ab Antecedentibus & Consequentibus, à Similibus, Dissimilibus, Comparatis, Contrariis, Repugnantibus, quidquid Præceptorum regularumq; in Rhetoricis traditur; ab hoc Magistro, omnia accepta sunt. Hæc quoniam tu puerorum tormentum, ac tyrannidem vocas; Tullium, Fabiumq; tanquam invecti in Scholas Phalarismi reos & auctores, in judicium capitis appellâsti. Quorum præceptiones observationesq; acsi nugas inutiles abjicere; est perdiscendæ bonæ Eloquentiæ, nuncium in omne tempus remittere. Non putas? do tibi stipulatam manum.

§ 2.

Hoc ipso temporis vestigio, venit in consessum novus hospes, Vir in jure consultissimus, in rebus Civilibus & legibus Reipublicæ, longo usu exercitus: unde magnum nomen, honores, ac opes sibi comparavit. Salutatus, & salutans, postquam consedit, materiamq; litigiorum intellexit; non leve momentum attulit parti, cui patrocinari videbatur; nec parvum detrimentum alteri, quam refellebat. Reassumpta est

est quasi de integro, Controversia Politicorum; & nostra, meo cum disputatore, quæ nonnihil supersederat, revaluit perrexitq; collocutio.

Prior ille ad me. Nihil egisti, adductâ ex Rhetorum officinis, tanta Præceptorum multitudine, quasi verò, qui hæc non didicerit, eloquens fieri nequeat. Ego autem ostendam tibi Scholam, cujus ductu & lumine instructi Juvenes, longè faciliùs, celeriùs, feliciùs in Oratoria proficient, quàm si omnibus Tullianis præceptis caput refertissimum haberent. Et, si nôsse vis tam optabiles Athenas, omnium doctrinarum inventrices, ecce sunt. Assidua lectio, & lectorum accuratissima imitatio. Tali studio, Eloquentia & otiosè condiscitur; & subitò paratur.

Novas hasce Athenas, nullo ariete admoto, sed pictis armis dejeci. Legisti oculis aliquam elegantissimè pictam imaginem? bene contemplatus & admiratus es? laudas, probas, usq; & usq; irretortâ palpebrâ, illius specie te pascis. Imitare, pinge similem. Non vales. Quare? nunquid non satis omnia lineamenta dispexisti? Utiq;, & animo bene impressa retines. Sed quia in regulis adumbrandæ coloribus imaginis, tiro & peregrinus es. Sic lectio, imitatio, parum vel nihil juvabunt inopem artificii: neq; in stadium Eloquentiæ, prodire à lectione audebit ille, cui antè bene percepta *Oratoria supellex, quæ in ornamentis est*, ait Cicero (*f*) in numerato non fuerit. Quos ergo juvabit lectio, imitatio? Quibus ars ornatè dicendi, id est præcepta (neq; enim ab his, ars distingvitur) firmè in memoriæ penu consederunt. Id, ne à me temere dici credas, Fabium Quintilianum produco. *Sicut athletam, postquam omnia jam à præceptore didicerit, quo genere exercitationis ad certamina præparandus sit; ita eos instruimus, qui jam res invenire ac disponere sciunt, verba quoq; & eligendi, & collocandi, rationem perceperint; qua ratione, quæ didicerint, facere optimè possint; parandas eis esse velut opes quasdam, copiam rerum ac verborum: quorum ubertatem ac divitias dabit lectio. Omnia enim, quæcunq; Doctor præcipit, Orator lectus ostendit.* (*g*) Hinc colligis, quid novello Rhetori datura sit lectio. Nempe divitias verborum, & aliquod rerum supplementum. Quæ fortè disertiorem illum reddent, sed non scientem, peritum, & ornatum Oratorem. Neq; enim hinc studiosus lector addiscet artificiolam

(*f*) in Oratore. (*g*) L. 10. c. 1.

osam ornandi sermonis rationem, neq; periodorum, figurarum, translationum scientiam, delectum, varietatem, differentiam; neq; aptum eorum usum: non virtutem, elegantiam, acumen, robur & vim dicendi, plenè percipiet; nisi priùs à Magistro, bonam horum intelligentiam hauserit. Orator enim lectus, ostendit tantùm, quæ doctor præcipit. Quæ autem Præceptor non tradidit, nec enucleavit, nec edocuit; lectio non apportabit. De imitatione verò disce ejusdem Magistri sententiam. *Magna quidem pars Artis continetur imitatione*, fatetur ille. Cæterùm *pigri ingenii est*, *contentum esse iis, quæ sunt ab aliis inventa. Nihil crescit sola imitatione. Quidquid alteri simile est, minus est illo: ut umbra corpore; imago facie.* (h)

Objicit adhuc. Quis Orator bene exercitatus, animum intendit ad ea præcepta, quæ de Tropis, Periodis, Figuris, aliisq; ornandæ orationis artificiis, adolescens tanta contentione didicit?

Statim repercussi ut pilam levissimum, infirmum, & admodùm nugatorium argumentum. Quis etiam Orator, seu calamô, seu linguâ, bene artem exercebit Oratoriam, qui bene dicendi artem, quæ tota in præ-

(h) L. 10. c. 2.

in præceptis consistit, & ex his unicè coalescit, non priùs magna contentione didicerit? Non intendit animum, ad ea, quæ didicit; quia non primùm nunc discit: utpote, qui jam totius artificii Oratorii expeditam habilitatem, & possessionem plenam adeptus est. Sicut & Citharædus, vel gladiator, ille Citharam, hic hostem ferire intentus, non advertunt mentem ad regulas, quibus à Magistro imbuti sunt. Neutiter tamen, nisi ex præscriptis, quas ab exercitatore porrectas optimè callent, assiduoq; studio occalluerunt, artis Magistræ legibus certaverint, victoriam & laudis præmia reportabunt. Sed optimè hanc rem illustrat Cicero. *Ut enim, qui pilâ ludunt, non utuntur in ipsa lusione, artificio palæstræ; sed indicat ipse motus, didicerintne palæstram an nesciant? Sic in Orationibus, etiamsi non adhibeatur ars ex Schola; facilè tamen apparet, utrum is qui dicat, ingenuis Artibus instructus, an earum rudis, ad dicendum accesserit.* (i) De reliquo, moneo te, caveamus uterq; diligenter, ne tandem res ad serium certamen veniat. Alioqui, nisi mihi intercederet singularis tecum gratiæ conjunctio, facilè uno ictu absolverem te. Jam enim ex Definitione Artis, quam Cicero dedit, tibi

(i) L. 1. de Oratore.

tibi liquet: omnem Artem præceptricem esse, neq; posse concipi aliquam artem, sine præceptionibus. Liquet item ex Tullio, Artem sermonis ornatricem esse Eloquentiam. Hinc colligere potes, te à mea manu periturum, percussum hastili taliter amentato.

ARS BENE ORNATEq; DICENDI, EST PRÆCEPTIO DE PERIODIS, TROPIS, FIGURIS, CÆTERISq; ORNANDI SERMONIS ARTIFICIIS.

TU OMNEM TALEM PRÆCEPTIONEM, EX OFFICINA RHETORUM AMANDAS, EXTURBAS, ELIMINAS.

ERGO OMNEM BENE ORNATEq; DICENDI ARTEM, QUÆ ELOQUENTIA EST, EXTERMINAS, EXSTINGVIS, TOLLIS.

Verùm, à tali pugna, officium amicitiæ, quâ te complector, prohibet me.

§ 3.

Visus est nec improbare posse ea, quæ attuli, nec velle approbare: argumentationis certè robur, nec elidere valuit, nec eludere attentavit. Tantummodò quendam animi sui scrupulum mihi proposuit. Quæ hactenus ultro citroq; in medium contulimus, abeant: ulteriore discussione non indigent. Hoc tamen mihi judicium non eximes, ut non arbitrer, missâ inutilium

utilium præceptorum Rhetoricorum mole, seu potiùs sylva; præstare utiliùs exerceri juvenum mentes, erudiriq; in Geographia, in Chronologia, in Antiquitatis scientia.

Aliquid ipsi concedendum esse duxi, ut totum everterem. Quòd artem Rhetoricam, præceptorum sylvam appellâsti; rectè sentis. Tecum Cicero stat, & sylvam vocat. Sed, quòd sacrum hunc Minervæ lucum, revellendum exputandumq; censes; vide, ne ipsum Ciceronem, tanquam alter Popilius, crudeli plaga detrunces. Totam ille, in hoc viridicato saltu, Rhetoricæ conclusit amplitudinem. Postquam enim Marco Bruto, Figuras Verborum ferè omnes prolixè recensuisset; Figuras quoq; Sententiarum, numero ferè infinitas, longa serie persecutus est; talem doctrinarum finem facit. *Sylvam quasi vides? hoc in genere, omnis eluceat oportet eloquentiæ magnitudo.* (k) Hanc tu Sylvam Rhetoribus adimere tentas? Quid machinaris? quid moliris? Omnis eloquentiæ magnitudo, in illa elucet. In totius itaq; Oratoriæ facultatis jugulum, districto gladio furis. Vide etiam, quàm probi existimatoris personam sumis? dum institutionum Rhetoricarum copiam, & molem, tanquam rem inutilem, è manibus studiosæ

(k) in Oratore.

diosæ juventutis excutis. Istarum enim institutionum Auctor, & sator, sic Tullius prooemiatur. *Si profitear, dicendi Præcepta, & quasi vias, quæ ad eloquentiam ferunt, me, studiosis traditurum; quis tandem id justus æstimator reprehendet?* (l) Tu verò reprehensor evasisti; quid sequitur? Iniquus ac injustus Tullianæ Scholæ existimator es.

Veniamus jam ad alterum magìs principale punctum. Utiliorem juventuti literariæ fore Historiam, Chronologiam, Geographiam, & antiquitatis scientiam dicis, magìs quàm Rhetoricam. Ego, salva magnitudine tuâ, pronuntio, dicere te id, præter omne verum & æquum. Nam omnes ingenuæ bonæq; artes, utiq; artes sunt; hoc tibi evidens est. Et utilissimæ quidem; hoc subscribes. Artes verò circa quid versantur? desudant? exercentur? Circa ea tantùm, quæ nonnisi artificiosè fiunt: quæ citra singularem difficultatem, citra regulas, præceptiones, normas, citra Magisterium, non facilè obtinentur; neq; hìc inficiator eris. Vis artem dicendi definiam? Definivit Cicero. *Est Præceptio, quæ dat certam viam rationemq; dicendi.* (m) Vis Dialecticam? Est Præceptio, quæ dat certam viam rationemq; rectè definiendi rem, dividen-

(l) in Bruto. (m) Rhetor. l. 1.

videndi, concludendi. Et generatim, de omni arte idem dicitur. Artium duntaxat liberalium officinæ, Scholæ sunt: hoc negare non potes. Jam ex te quæro. Res Chronologica, Historica, Geographica (discendam non lucubrandam accipio) estne de genere artium? non est. Daturne de his aliqua Præceptio? nulla. Satìs est Historicorum, Geographorumq; libellos evolvisse, ac meminisse, ut quis doctus evadat. Istis tu, quæ nullius artis, nulliusq; difficultatis sunt, Juventutem, pulveri literario traditam occupari, distineriq; primariò vis? Artem verò Eloquentiæ, ut generi humano summè necessariam, ita summè difficilem: utpotè, quâ perfectâ, nihil rarius invenire est, ut Cicero asserit; &, quæ ad salutem conservationemq; hominum data est, ut Idem sentit; levi brachio expediri? potiori parte abjici? & quasi cunctam cum præceptis expelli? Hac ratione, optimè constitutum artium liberalium ordinem, & orbem, confundis, invertis, destruis, mutilas, mutas. Damus nos campum Historiæ, Geographiæ, & antiquitatis scientiæ, quantùm ad eruditionem Scholasticam pertinet, & quantùm per utilem studiorum brevitatem licet. Neq; curiosam juventutem

 frau-

fraudamus iis, quæ raptim prælibari possunt. De cætero, ad libellos optimos ac lectissimos, monstramus iter, Juvenesq; admonemus, ut ex lectione, opimam velint antiquitatis prædam capere, dicimusq; cum Cæsare:

Quam monstrare meum est: nec enim donare vocabo,
Quod sibi quisq; dabit. *Lucan:*

Talium enim studiorum tantummodò magistra lectio est.

Scio, quid mihi opponere vis. Oratorem debere esse omni doctrinæ genere copiosissimè instructum: atq; adeò in historia, in Geographia, in antiquitatis scientia non idiotam, neq; peregrinum. Hoc ultrò tibi damus. Quin & Cicero tuas partes sustinet in parte. Plùs ille dicit. *Neminem in Oratorum numero habendum, qui non sit omnibus artibus, quæ libero dignæ sunt, perpolitus.* (*n*) Quid tum inde? An ideo sermonis ornandi doctrina amputanda, & ad lectionem usumq; rejicienda est? Quare studium antiquitatis, historices, Geographiæ, ad libellos non rejicis? Ad hæc certè noscenda, non opus est arte. Et quamvis fortè indigerent pædagogô, ad exigendum memoriæ pensum; tamen sine arte bene ornateq; dicendi, non facient oratorem. Juvant

(*n*) L. 1. de Oratore.

vant omnes, artes libero dignæ; sed priùs in arte eloquentiæ, quæ, uti reliquæ omnes, à præceptis tota pendet, minimè rudem. Navarcho, & naviculatoribus, necessaria est astrorum scientia: & magìs quidem, quàm Rhetori Geographia; nullus tamen peritissimus licèt siderum cognitor, moderandæ navis, tenendiq; gubernaculi periculum faciet, qui artis nauticæ inscientiâ laborat. Ita pluribus licèt literis, sed non arte ornandi sermonis imbutus, non censebitur in numero oratorum. Quorsum igitur à tirocinio unius artis malè delibatæ, præceps illa, ad alias, aliasq; percursatio? Quorsum promiscuus cuncta simul docendi, disjunctasq; facultates, & consortionem non ferentia studia confundendi usus? Quorsum desultoria, erudiendis Juvenum ingeniis, curricula? Nempe, ut in nulla re docti, in nulla indocti: neq; sapientes, neq; idiotæ: non inscitissimi, sed scioli: in omni literatura balbutiant; in singulis hallucinentur. Tali, in optimis studiis saltarici festinationi, simile quid usuvenit, quod iis, qui tumultuariè & raptim sese ornant, ut ocreas vel braccas præposterè, tunicam vel sagum, prorsus inverso modo, ac sinistrè induant: existimantq; se magnificè incedere, dum interim

terim his, qui conſpicantur & adſtant, præ riſu & rhonchis, vix ilia non defluunt. Ipſi quoq;, deprehenſo errore, deridiculo ſibi ſunt, damnatâq; properatione, & abjecto tali corporis habitu, retrò ad ultimum thoracem, non ſine utili tarditate & mora, ſe recipiunt: ordine deinceps inconfuſo exornandi. Sic in acquirendis ſcientiis, qui ad ſpecioſa præmaturè proſiliunt; compendio morantur: ac niſi pedetentim & gradatim, ludum diſcendi, dicendiq; decurrant; lauream veræ, ſanæq; eruditionis, attingent nunquam; ſed ſemper planas, & expeditiſſimas terent vias, perfectè ac integrè ſciendi nihil.

DISSERTATIO IV.

De Curta Philoſophia.

MAgnorum Virorum ſimultates, capitales & duræ ſunt. Citò ut flamma, erumpunt; tardè, ut flammæ, ſopiuntur. Oleo ignem exſtinguit, qui inæſtuantem læſæ Potentiæ bilem, ſedare ſubitò aggreditur. Sic contigit in præſenti congreſſu. Quædam enim non obſcuræ in Republica Dignitatis Perſona, ab altero, non impare gradu amplitudinis, levi faceto dicto laceſſita, tam acerbè tulit aculeum, tanquam unguem in ulcere. Hinc tacitus irarum fomes, in apertum odium evaſit. Tenuitq; illa, duos inter præcipui honoris Viros, animorum alienatio, conciliari difficilis. Licèt enim nonnunquam officioſiſſimis verbis ſecum certare, & ſpecie fictæ ſimulationis, voluntatem mutuam tribuere, tranquillaq; fronte agere viderentur; nunquam tamen ita retentabant exulcerationem animi, malevolentiâ ſuffuſi, quin identidem in quaſdam formidabiles minas erumperent. Multo ſudore perfuncti ſunt primi ex ſummatibus, dum partes concordiâ placare, ac lenire allaborant. Quo factum eſt, ut noſtra privata & ſolitaria ſermocinatio longiùs proceſſerit, mihiq; vindicandæ etiam Philoſophiæ, anſa data & copia fuerit.

§ I.

Dixi tunc Confeſſori meo. Quare ceſſamus? Offenſiones exerceant alii; nos interim ab hac perturbatione ſubducti, quie-

to, &

to, & amicabili ingenii Marte depugnabimus. Ille multa cum animo suo volutans, & taciturnus, in hæc tandem verba, lingam solvit. Patenter video Te velle, ut ab hominum literatorum Societatibus, me avellas penitus. Rescire volui. Estne aliquid, quod ipsis te illigare quiverit? Est, inquit. Nimirum, novâ Philosophiâ excellunt. Hanc ipsis laudem nemo ullus, ne tu quidem infringere poteris, aut eripere. Rogo: describe mihi hanc novam Philosophiam, percupidus enim sim cognoscendi.

Incipit ille. Philosophiam dico non illam quidem horridam, inanem, exsuccam, & litigiosam, qualem ex Arabum officinis, seu potiùs tenebris, ad torquenda hominum ingenia egressam, diutissimè, in Scholis, tyrannicè imperantem vidimus. Cui incumbentes homines inepti, contentiosi, audaces, insani, perniciosi, rabulæ, blaterones, de nihilo disputantes, de Prooemialibus, de Prædicabilibus, de Categoriis, de Modalibus, de principio Individuationis, de distinctione quantitatis, à re quanta, de nominum Analogia; deq; aliis rebus, quas Melchior Canus, Vir multæ eruditionis, parum intelligibiles putat, suiq; non tardi licèt ingenii capacitati, perreconditas, & obstrusas. De signis, aliisq; commentitiis difficultatibus, & Sophisticis nugis discutiendis, turpissimè consenescebant. Quid enim istæ inutiles & perridiculæ Quæstiones, quid inanes Scholasticorum tricæ, Sacram Divinarum Rerum Scientiam juvare possint? nullus video. Sed Philosophiam nobilem, luculentam, fructuosam, rerum indagatricem, amicam pacis & veritatis; quæ non jurgiis, non clamoribus, non contentionibus, sed certis legibus, tutisq; experimentis, ad res omnes investigandas, viam pandit expeditissimam. Quam, priore expulsâ & profligatâ, in publicas Academias, homines Sapientissimi induxerunt.

§ 2.

Recipio partes respondendi. Paulò arrogantiùs, inconditè, ac insulsè excanduisti, quasi à tota, quæ Divina in te est, Sapientia excidisses, rerum perspicientiâ callidissime Domine. Multùm inconcinnus es, multùm illiberalis, in magnificandis Peripateticis. Sed qualemcunq; istum verborum honorem, tibi concedo, tibi serviat: totus honor sit in honorante. Verùm, nunquid etiam Angelicum Doctorem Divum Tho-

Thomam, tam magnificis titulis, quos lingua, sive ingenuitatis, sive Urbanitatis ergò, repetere verecundatur, cohonestare dignaberis? Peripateticus est. Totum Aristotelem, sive Categorias attingis; ubi de Analogis, de Univocis, de decem Prædicamentis; sive prædicabilia de multis, id est Universalia respicis: ut sunt: Genus, Differentia, Species, Proprium, & Accidens. Denique omnem Logicam, Physicam, Metaphysicam, Philosophi Stagiritæ, Doctor Angelicus luculentissimè pertractat, explicat, & dilucidat. Ne verò me, crimine falsi velis obruere; aliquot saltem Angelici Magistri opuscula memorabo. Sunt autem: 1. *Quæstiones de Universalibus.* 2. *De Natura Generis.* 3. *De Natura Accidentis.* 4. *De Propositionibus modalibus.* 5. *De Principio Individuationis.* 6. *Super librum Porphyrii commentarius.* Sufficiant hæc tibi. Jam mihi Responde, quosnam tu Philosophos, Definitionibus illis conglobatis tam absonis, onerare, cruentare, lacerare voluisti? Sanctumnè Doctorem? an ejus Scholæ Discipulos? utrumq; nefariè ac impudenter. At enim hæc nihil ad Theologiam conferre, inquies; nihil Divinam juvare possunt Scientiam. Hoc aliquis temere effutire potest; convenienter, & cum

cum ratione dicere non potest. Nisi enim Aristotelis Doctrinæ institisset Divus Aquinas, nunquam Theologus & Ecclesiæ Doctor, instituere voluisset illas, quas de DEO proponit Quæstiones, ut parte 1ma, quæst: 3tiâ, Artic: 5to. *Utrum DEUS sit in aliquo Genere?* Articulo 6to. *Utrum in DEO sint aliqua Accidentia?* Quæst: 13. Art: 5. *Utrum ea, quæ de DEO dicuntur, & Creaturis, univocè dicantur de ipsis?* Et concludit Analogiam. Quæst: 53. *de Motu locali Angelorum.* Parte 3. quæst: 50. *Utrum Sacramentum sit de genere signi?* Nolo esse infinitus. Si totam Summam Theologiæ Aquinaticæ excusseris; ubiq; tibi plura & plura ejusmodi, quæ ex Aristotelis Philosophia fundamentum sumunt, interrogata occurrent: & ex ejus principiis atq; axiomatibus, limpidè resolvuntur.

Jam ego unicum tantummodò ex te audire studeo. Quo loco, quo honore apud te sit Summa Theologica Divi Thomæ? Respondit ille: In Divinarum Rerum intelligentia, Dux & Magister meus, Doctor Angelicus est. Opposui: Nunquam possum credere. Os mihi sublinere, & eludere me vis. Non ludo, ait, sed valde asseveranter dico: ad manu tenendam, secundùm omnes

mnes vel minimos apices, Divi Thomæ Sacram Doctrinam, religione quadam, & quasi Sacramento adstrictus sum. Miserum igitur te, subjunxi, qui tua ipsius confessione, te jugulâsti: qui una in lingua, duplicem animum habes, contrariis assensionibus sibi repugnantem, qui aliud stans, aliud sedens asseverabis. Quî enim poteris dignè, congruenter, & validè, Divinam Doctoris Angelici, qui totus Aristotelicus est, Scientiam tenere, & propugnare, repudiato Aristotele? Hujus Philosophiâ proscriptâ, & expulsâ, ad percipiendam, vel comprehendendam, in Theologicis intelligentiis, mentem Divi Thomæ, homo pili, assis, teruncii, nihili eris. Quòdsi fortè aliquo œstro correptus, nunc enunciata Peripateticorum rejicere, nunc pro libitu sustinere: sectari, quà Theologus; insectari, quà Philosophus volueris; jam non dicam te hominem nihili; sed varium, & multiplicem, omnis omnino rerum inconsequentiæ, inconsiderantiæ, ac repugnantiarum, copiosissimum ac divitem.

Quis ergo jam probrosas illas appellationes in se recipiet? quibus, Peripateticos Philosophos, tam inclementer, tam injuriosè, tam rusticè mactâsti? Ille, ille, quisquis est, hanc personam induat, eaq; omnia nomina

mina sua faciat: nec ea tantùm, sed insuper, quibus olim Cicero, inconditos quosdam, insulsos, & absurdos fori Actores insignivit (o) propria sibi habeat, necesse est, qui easdem, vel omnino similes Disputationes, quas in Aristotele, miris modis ignominiosissimè proscindit, & hastæ subjicit; in Angelico Doctore Theologo, tanquam Divinas osculatur, adorat, commendat, tueri, amplecti, defendere, certa lege se obstringi fatetur. Duabus sellis sedere, veteri proverbio, nôsti, quàm turpe, quàm infame, quàm ridiculum est. Nisi me tua præsentia doceret; nunquam crederem talem orationem, tam malè cohærentem, à te procedere potuisse; sed putarem esse alicujus novitii philosophastri, hominis tam vasti capitis, in quo omnes Hyppocentauri, Geryones, Gorgones, Hirco-cervi, & quotquot vel Poëtæ fingunt, vel Sapientes objectant, Chimæræ commodè stabulari possint. Familiariter loquimur, quidquid protulero, nihil acerbè accipies.

Enimverò, manent adhuc graviora, quibus te revincere aggredior. Vis, dicam, qua-

(o) *Omnium Rabularum, quos quidem ego cognoverim, qui & planè indocti, aut inurbani, aut rustici etiam fuerunt, solutissimus in dicendo erat Q. Sertorius, & C. Gorgonius.* Cicero in Bruto. Adde tertium hunc, per me licet.

qualem te esse mihi imaginor? Videris mihi terribilem quendam Gigantem spirare, non absimilem illis, quales Cælum, cóeuntibus nubibus horridum, monstrósos Briaræos quandoq; repræsentat; qui, modico serenioris auræ halitu dilacerantur & vanescunt: ventô conflati, ventô difflati. Quid enim? non ventosi sunt? non jure merito Vaticano fulmine percussi, tanquam insani & perniciosi, atq; in Orthodoxis Lycæis mille difflandi sibilis, ac explodendi illi, Vittembergensis Doctoris, Lutheranæ Sectæ Procreatoris sensiculi? *Peripatetici Philosophi, meras nugas sectantur.* (p) *Dialectica est noxia vero Theologo.* (q) *Prædicamenta nocent Theologiæ.* (r) *Totum illud commentum Arboris Porphyrianæ, minùs quàm anile figmentum est, aut somnium ægrotantium.* (s) *Physica Aristotelis est prorsus inutilis.* (t) *Metaphysica Aristotelis penitus exterminetur.* (u) Atqui hæ propositiones, ita consonant orationi tuæ, ita conjunctissimè tuo sensui cohærent; ut solâ verbosæ acerbitatis (honoris tui gratiâ, linguam tempero, ut summissim, placidè, ac modestissimè eloquar) quam evomuisti, rabie, & superbia majore, ab illis differas & dissentias. Non ergo talis

(p) in explic: svi præcepti. (q) Epist: 54.
(r) Ibid: (s) Ibid: (t) Ep: 100. (u) de reformat.

talis Gigas, Cæli fuscator es, ut fuit ille? Ipse judica & causam dic. Poteſtne inveniri major vel error, vel audacia, vel vecordia, quàm, ut Philosophiam, calamo, & commentationibus Divi Thomæ illustratam, quam ille, non modò ad naturæ indagationem, sed multò magìs ad eas, quæ supra naturam sunt, quæ nobis nonnisi ex revelatione notescunt, Divinas Veritates explanandas, enucleandas, ab Objectionibus vindicandas, sibi assumpsit, ingentiq; studio amplexus est, rabulis & blateronibus resignes? Hæreseos verò primipilis rabulis & blateronibus, manum fœderatam consocies?

Velim id non iniquè ferat perspecta mihi tua benevolentia, quòd te, amicus objurgator, paulò asperiore, sed salubri compellatione redarguat, ut recorrigat. Collige tantùm animum, sobriaq; mente circumspice, quò te, literatorum virorum Societates (parum abest, nè errem, & homines frontem literatos intelligam:) perduxerunt, ut cum Lutheri Anima, ejusq; gregalibus, plusquàm Herculeo nodo devinctus esse videaris. Atq; si ab erroneæ persvasionis caligine retrahi, deduci, dedoceriq; sustines; animum intende ad ea, quæ ego didici ex Eminentissimo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Principe, Cardi-

Cardinali, Sfortia Pallavicino. Non fido memoriæ, ut omnia verba permumerem, ſed in ſenſu & Sententia fidelis ero. Diſputat ille contra Petrum Svavem Polanum, à fide Apoſtatam Lutheranum.

Quale mundo beneficium contulerit Divus Thomas Aquinas, quod Chriſtianam Doctrinam, in Ariſtotelis Philoſophia fundaverit?

Et reſpondet. „Philoſophiæ lumen, „triplici de cauſa, maximè Theologiæ ſer„vit. Primò, quia aliarum Sectarum er„rores impugnat, qui per hoc lumen re„vincuntur. 2dò quia Sophiſmata diluit „Chriſtianæ Fidei objecta. 3tiò quia alia„rum cognitionum opulentiam comparat, „quæ tanquam conſecutiones deducuntur „ex Fidei dogmatibus, & ex natutæ notio„nibus, ſimul conjunctis. Ad hæc tria „emolumenta conſequenda, ſibi ſuisq; Du„cem elegit Ariſtotelem Divus Thomas; & „per hoc, Incomparabilis Doctor, optimè „de Eccleſia meritus eſt. Cùm enim ſub „duodecimum circiter Salutis noſtræ Secu„lum, Arabum Secta, Cordubæ in Hiſpa„nia, magnam ſibi Doctrinæ laudem adepta „fuerit; atq; per Averrois Solertiam, Peripate-

„teticis rationibus refellebant irridebantq; „noſtræ Fidei Myſteria; his aggreſſionibus „oppoſuit Divina Providentia Sanctum „Thomam. Qui nullam inter humanas „Doctrinas nactus ſeu majori habitam in „honore, ſeu dignam, ut haberetur, quàm „Ariſtotelica; in eam, impenſiſſimo ſtudio, „operam dedit: atq; iſtius Philoſophi li„bros, longè luculentiùs explicavit, quàm „quicunq; Arabum, aut Græcorum. Vi„vidiq; ingenii vi, atq; acumine, ex iiſdem „Ariſtotelis Principiis, ſolutionem deduxit „argumentorum, quæ rectæ fidei reluctan„tia, ab Arabis cudebantur. Effectumq; „eſt, ut Peripateticorum & Chriſtiana Do„ctrina, adeò in idem fœdus coierit; ut „recentiorum Hæreticorum anteſignani, de„ſciſcere à Vaticano nequiverint, quin ſi„mul deſciſcerent à Stagira: fidemq; ſua„rum commentationum elevaverint, ex con„temptu maximi Philoſophorum, & for„taſſe inter Ingenia, quæ natura protulerit, „præſtantiſſimi. Hactenùs Eminentiſſimus Scriptor, Hiſtoriæ Concilii Tridentini lib: 7mo cap: 14.

Quæ omnia, ferocientis tui ſtomachi, maledicentiæ nimii, bullatas nugas (da veniam amiciſſimæ confidentiæ) ita peſſun-

dant, enervant, & ſupprimunt, ut ſubula utrem. Primò enim jam fortè aliquomodo intelligis, quantùm Scholaſticorum Philoſophantium velitationes militant, ad propugnanda Divinæ Fidei Myſteria. Agnoſcis deinde, Philoſophiam Chriſtianam, pugnacem, robuſtam, & bellicoſiſſimam eſſe debere: quali Divinus Thomas, & Arabas, & Averròém, & incredulas gentes profligavit. Quarè, vel ipſo Sapientiæ tuæ lumine excitaris, ſtimularis dignitate, religione impelleris, ut orationem tuam retexas, ut opprobria retractes, ut jures nolle eſſe dicta: ut diſertâ palinodiâ incallidus conteſtêre: Peripateticos Philoſophos non ad torquenda hominum ingenia; ſed ad ſtatuenda in hoſtium cervicibus trophæa, ſtrenuè digladiari. Non commentitiis nugis impalleſcere; ſed conterendis, ſtolidè inſultantium Sophiſtarum offuciis, quales Arabum erant, & tuorum pacificæ Philoſophiæ Doctorum, perpetuæ ſunt, ſolido Marte exerceri. Poſt hæc, confitebere ingenuè, te ſophiſticæ perverſitatis, & perversè depravatæ veritatis crimine laborare. Immane quidem eſt, quantùm à fide & re delirâſti! Neq; enim ex Arabum incude vel tenebris, promanâſſe Sapientiam Stagiræ natam; ſed

contra

contra Arabum inſultus, Eccleſiæ DEI, pro præſidio & muro accerſitam fuiſſe: ita, ut jam nullus Romanæ Fidei hoſtis ſit, qui non ſimul hoſtis Ariſtotelis; & Stagiritæ nullus, qui non ſimul Aquinati libellum repudii dederit.

Iterum Pallavicinus, ad Petrum Svavem. ,,Quemadmodum, inquit, niſi Grammatica, formas univerſales, ad exprimendos mentis conceptus, nobis ſuppeditaret, ,,neſciremus de rebus Sacroſanctis loqui; ,,ita, niſi Ariſtoteles, & ejus Philoſophia, ,,notitias univerſales præberet cunctis rebus ,,communes; non poſſemus ipſas, ad ea, ,,quæ DEO revelante didicimus, & quæ ,,naturam ſuperant, explicanda uſurpare. *Hiſt: Trid: l. 8. cap: 19.* Porro Philoſophia, quam laudas, novitia, in Notionibus, quæ prima rerum genera deſignant, & diſtribuunt, non hoſpes eſt? In univerſalibus enuntiationibus non idiota? Non in Principiis & luminibus Naturæ talpa? Neq; prima elementa robuſtæ Philoſophiæ, nec linguam, nec voces, quibus altiſſima Theologicæ Sapientiæ Myſteria enucleanda veniunt, cognoſcit. Si quando ergo, illud revelatæ ſcientiæ profundum adibit; indocilis, imprudens, acie animi caligante, ſingulis paſ-

ſibus

ſibus in brevia, in Syrtes, in ſcopulos impinget.

Pergit adhuc Purpuratus Doctor. ,,Ariſtoteles & ejus Philoſophia, eo pacto ,,prodeſt Theologicis Doctrinis, quo au- ,,xiliares copiæ exercitibus *Ibidem*. Militanti ergo Eccleſiæ ſubſidiaria cohors, & quaſi ferentaria manus eſt. Hæc autem nova Philoſophia quid? Diligens pacis eſt, à jurgiis & clamoribus alieniſſima. Igitur contentioſi Martis expers, defendendis rectæ Fidei veritatibus inutilis, Arcem Religionis Chriſtianæ, firmo præſidio & muro denudat; ipſa verò inermis, enervis, percelli & jugulari facilis, in omni campo, ubicunque ad manum venerit, ſuccumbet.

Tandem cerebrum tibi excutit imperecepta Melchiori Cano diſtinctio quantitatis à re quanta. Potuitne tam plumbeus in phyſicis eſſe Angelici Doctoris Diſcipulus? ut Magiſtri ſui ſententias, ſive de Analogis, ſive de principio Individuationis, ſive de diſtinctione quantitatis à re quanta, intelligere nequiverit? Nihil ego cano, nec mu facio, de Melchiore Cano. Quiſquis tamen cum Divo Aquinate ſentit, profitetur, & propugnat, quòd in Sacramento Altaris *ſolâ ſubſtantiâ panis tranſeunte, remanet quantitas dimenſiva panis, & remanet ſecundùm proprium modum, ſcilicet ſecundùm commenſurationem* (x) *omniaq; accidentia, quæ ſecundùm rei veritatem ibi ſunt, ſubtracto, quod priùs habebant, ſubjecto, remanent fundata ſuper quantitatem dimenſivam.* (y) Verba ſunt Divi Thomæ. Qui, inquam, id fide tenere, atq; etiam Philoſophicè defendere tenetur; ſimulq; idem ipſe, tales quæſtiones nugatorias, prudenti diſputatione & aſſenſu indignas ſibi videri, ſuæq; non tardæ licèt intelligendi facultati repugnare contendit; adhuc & Philoſophiam, quæ diſtingui docet quantitatem à re quanta, inſanam, perniciosam, rabularum, blateronumq; vocat; talem Doctorem quo nomine concelebrabimus? Suggerit aptum præconium Marcus Tullius, ſcribens de quodam Statio, ad Atticum. *Ecquem tu, illo certiorem Nebulonem?*(z)

§ 3.

Favebat adhuc tempeſtas, initæ mihi, cum memorato advena, neceſſitudini continuandæ. Itaq; ad novas illum propoſitiones ſolicito ac evoco. Si quid aliud eſt, quod te literatis, vel literandis hominibus

(x) Parte 3. quæſt: 76. art: 4. (y) Ibidem quæſt: 77. artic: 1. & 2. (z) Epiſt. 21. Lib: 15.

nibus connectit? cedo, liberè dic. Incredibile est, refert ille, fidem superat, qualiter homines isti sapientissimi, viam planam, expeditam, & experimentis tutam invenerunt, ad investigandam naturam. Ita res omnes difficillimas, clarissimè & promptè evolvunt, & ante oculos ponunt, ut merces institor.

Illico institori repræsento solutionem. Dicere fortè voluisti, tanquam scrutarii veteramenta venditant. Horum autem inscientiis veteramentariorum primum caput, primumq; Principem nôstine? Epicurus est famosus inter Philosophos ille porcus; inter porcos Philosophus: qui omnia, non lumine rectæ rationis, non principiis lumine naturæ notis, non argumentatione conclusè rem evincente; sed certis legibus & tutis, ut putabat, sensuum experimentis duntaxat metiebatur. Gravatè hanc objectionem, nec sine stomacho tulit. Contumeliam irrogas, ait, & argutissimis naturæ Scrutatoribus imponis. Emundo crimen. Cicero testis est, ille Stoicorum sagacissimus, me nihil quidquam imponere istis naturæ Scrutariis. Cùm enim rationalem Scientiam summè commendat Tullius; *Hæc una est*, inquit, *quæ continet omnem & percipiendi quid in unaquaq;*

re sit, scientiam; & dijudicandi, quale quid sit; & viam ac rationem disputandi; tum de Epicuro pandit. *Dialecticam irridet Epicurus: & in ea parte Philosophiæ, quæ Logice dicitur, planè inermis ac nudus est. Tollit Definitiones; nihil de dividendo ac partiendo docet; non quomodo efficiatur, concludaturq; Ratio, tradit; non quâ viâ captiosa solvantur; ambigua distingvantur, ostendit. Judicia rerum in sensibus ponit; quibus si semel aliquid falsi pro vero probatum sit, sublatum esse omne judicium veri & falsi putat.* (a) Quid ad hæc dicis? Philosophicæ pugnæ non irrisores sunt novi pacifici Philosophi? Logicam legitimæ demonstrationis formam, non sordida vernilitate exagitant? Tuam orationem consule. Credo, nec ipsius Epicuri animam, contra disputatricem Scientiam, per quam veritas & limatur subtiliùs, ait Cicero (b) & deprehenditur apertiùs, tam contumeliosè, atroci rictu distentam fuisse; ut tu, in Peripateticorum Principem, & per ejus latus, in ipsius fidelissimum commentatorem Divum Thomam, linguâ rabiosulâ (parce audaci verbo, Tullianum utrumq; est) insaniisti. *Dialectica, veri & falsi quasi disceptatrix & judex est,* effato Ciceronis (c) Hunc judicem excutiunt à se

(a) de finibus bonorum l. 1. & 2. (b) De Officiis.
(c) Quæst: Acad: ib; 2.

à se novitii Sophi: ad judicium experimentorum bruti sensus appellant. Palàm igitur est, eos sincerâ judicii regulâ & lumine orbos, à recta & vera philosophandi ratione alienos, inermes & nudos, glande pastum Epicuri gregem, egregiè supplere, ac æmulari.

Quod ut firmiter persvasum tibi habeas; parum est, quod à te exigo. Nimirum, ut non pigreris tecum sic ratiocinari: Si aliquis existeret de grege Philosophus, qui talem, quam omnes retroactis sæculis, antiqui mundi Sapientes, omnes veteres Philosophi, Platonici, Stoici, Peripatetici, confutant, damnant, explodunt, & ad bruta ingenia referunt Philosophiam, probare ipse, prædicare, tueriq; vellet; qui insuper hanc unam, omnibus Academi, Stoæ, Lycæi, Scientiis superbè anteferret; quo loco apud omnes habendus esset? utique despicatissimo. Quomodo delirationis opinionem evaderet? nullus video. Epicuri figmenta, ab omnibus Academi, Stoæ, Lycæi, Athenæis, pridem irrisa, & insaniæ damnata sunt. Qui ergo hanc Sectam resuscitare, profiteriq; non erubesceret; non injuriâ pro insipiente haberetur. Optimè apud te conclusisti. Sed & contra te. Cùm enim & ex

ex Tullii testimonio, & ex ore tuo clarum sit: novos Philosophos, in odorandis naturæ veritatibus, nonnisi Epicuri nare, scilicet experimentorum magisterio concitari; & sic, judicia rerum in sensibus ponere; Dialecticos arguendi veri & falsi modos, tanquam insanas blateronum nugas, rabularum tricas, cum Epicuro exsibilare ac explodere; sequitur, novitiam philosophandi artem Epicuream esse: neq; posse alio, præterquam insanioris Philosophiæ titulo nobilitari.

Quòdsi adhuc novæ istius Philosophiæ Principia penitiùs introspexeris; jurabis eam, Epicuri Atheorum Signiferi, sobolem, eodem ex ovo, germanissimam esse. In quo enim illi suam fundant Scientiam? Ajunt, nihil admittendum esse tanquam verum, quod à nobis clarè & distinctè non percipiatur. Ad inveniendam veritatem, dubitandum esse de omnibus, etiam de Existentia DEI. Negandum esse Deum & omnia, præterquam quòd cogites, adeòq; quòd sis ipse. Apage sint tales Naturæ Speculatores, & Venatores, qui Deum Auctorem omnium, ex mente humana evellunt, eripiunt, & tollunt: neq; ad tirocinium Philosophicæ contemplationis, initiari possunt, quin

quin priùs Atheos se esse profiteantur. Quantò longè sanctior est Peripateticorum Dialectica, & Divi Augustini: qui contra antiquos, & hodiernos Atheos, ita concludit. *Faciliùs dubitarem, utrum ipsemet vivam? quàm utrum vivat Veritas illa æterna, cujus sempiterna Virtus & Dignitas, in suis operibus dignoscitur.* (d) Dum verò omnes Metaphysicas Demonstrationes DEI, quas orthodoxi Philosophi fortissimas procuderunt, repudiant, præter fictitias suas Ideas, quæ sunt mera Notionum portenta, & idola falsa; quid aliud de illis sentiamus? quàm quod de Epicuro Tullius. *Epicurus, ne in offensionem Atheniensium caderet, verbis reliquit Deos; re sustulit.* (e)

§ 4.

Postremò, ut novæ istius Philosophiæ Doctores indicaret mihi, placatè depoposci. Lubens aveo, velis mihi illorum nomina Sapientûm edere, qui Aristotele profligato & expulso, novam Philosophiam, in Gymnasia nescio quæ, nulla enim, nisi hæretica per Belgium, Germaniam,

(d) Lro Confessionum 10. (e) L. 1. de Natura Deorum.

am, Rossiam, insinuâsti; invexerunt. Spero enim, quòd fortè inveniam saltem aliquos pestilentes & perniciosos esse. Atrociter id illum pupugit. Pestilentes, ait, homines vocas! Newtonum, Wolffium, Leibnitium, Varignonium, Eulerum, Keilium, Halesium, Alembertum, Pope, *Essay on Criticism*?

Hæc loquenti, nonnihil incommodavi. Peregrinas linguas non calleo, volo tamen esse Philosophus. Dic, cujus generis est hæc Pope? Anglus, inquit, est, Patrio metro scripsit, Gallicè redditus Londini Anno 1744. In respondendo, neq; risum, neq; indignationem tenere potui. Tirunculus, inquam, est, hodie primùm, atq; heri, ex ovo alicujus reguli exclusus: neq; ipse adhuc bene lucem aspicit, nec Lycæis aspectabilis est. Hunc ergo, & Newtonum, & Wolffium, & omnes, quos nominâsti, Aristoteli & Divo Thomæ opponis, & anteponis? Satisne compos, & religiosa mente id facis? Illorum Gigantûm pulli sunt, qui, ut dixit Pallavicinus, non segniùs Vaticano, quàm Stagiræ, inexpiabile bellum indixerunt. Manifestam igitur pestem, & perniciem Orthodoxæ Juventuti consciscis, tales illis Magistros assignando, quos in

Scholis veram pietatem profitentibus, vel nominare, flagitium eſt.

Interrogat ille. Quid nocet, ut proſcriptis illorum in Sacris & Religione, pravitatis erroribus, Philoſophicis eorum ſcientiis nomen faciam? Contrà reddo. Quid officit, ut à fonte venenis infecto abhorreas? rivulos tantùm ab illo decurrentes haurias & propines. Satis eſt digitum intendiſſe, ad Caput vitiatum, ut cupidine eruditionis illecta Juventus, dulciter ſeſe inſtillans toxicum bibat. Cui adlubeſcit erroribus inquinati capitis Scientia, fuerit licèt non inſana; jam amatur Auctor, amatur illius ingenium, Sapientia, judicium; amabitur & ejus pravæ ſectæ peſtiferum virus.

Sed, & aliud eſt, quod te à talibus Societatibus abſterreat. Dignitatem, atq; etiam immortalitatem tui nominis, cordi habes? hanc perdidiſti. Ut enim perfrictæ frontis, perditaq; audaciæ eſt iſtud genus; impudenter jactabunt, traducent, inſimulabuntq; te, in illorum ſocietatem ſumma voluntate propendere, vel jam certò certiùs, toto animo tranſiiſſe: te illorum ſpiritu fanatico regi, duci, agitariq;. Hoc tibi, ab his gregalibus, inflictum famæ vulnus, nunquam

quam

quam abolebis: utcunq; plaga coaluerit; manebit cicatrix.

Hæc ubi prolocutus ſum, altùm ille, diuq; tanquàm extra ſe raptus, in cogitatione defixus perſtitit. Tandem ad me. Non injurius es, Amice, nec parvi pendenda eſt animadverſio tua. Gravem mihi aculeum in animum incuſſiſti. Sed vides, quanta approbatione? quanto plauſu? quanto motu! Præripui verba. Deſine, inquam, jam intellexi, quid dicturus ſis: reſponſum habe: Sed cave, ne cuiquam prodas: altiſſimè iſtud, quod dicam, in ſinum tuum reconde. Quoddam axioma illi in aurem injeci: verùm neſcio, utrum percepit integrum. Superventu enim hoſpitis, qui ſtationem ſuam repetebat, abruptum colloquium eſt: & ego meum inter convivas ſubſellium recuperavi. Axioma tamen, ſi non fallit memoria, iſtud erat.

Nulla deformitas, ſine amatore:
Nulla fatuitas, ſine Patrono.

DISSER-

DISSERTATIO V.

De recta & optima Juventutis ad eloquentiam, & de prava ac inutili Institutione.

HOc interim spacio, evanuit nubes illa perturbationum, placati animi, compositæ dissensiones, & omnes simultates humanissimè depositæ. Jamq; concordissimi Primores, & totus cœnantium globus, omni jucunditate perfusi, omnibus incesserunt lætitiis. Aliqui, sive mero, sive magìs æstivo calore conflagrantes, frigidam anhelaverunt. Tum celeriter quædam jucunda hyems mensas occupavit. Apposita enim illico sunt, densis congelantia nivibus ostrea: & coagulata glacialis conditionis juscula: & ex arte popinæ, frigore densati Citrei, uvarumq; succi: qui ad aspectum & formam, varios arborum fructus, poma Armeniaca, poma electrina, mala Persica, pyra mustea, mentiebantur; palato admoti, meram

ram glaciem ingerebant. Visendæ erant, dispositis ferculis, structæ glaciei pyramides, & vivarum nivium colles fastigiati, ad vina & auram perfrigerandam. Intererat cœnationi, quidam ex collegio Physicorum, præstantissimus medicinæ Doctor. Is à tali epulo abhorruit: singulisq; obnunciabat: hanc epularem brumam, esse præsentissimum vitæ humanæ venenum. Sed risu exceptus est ab omnibus. Non de ciborum ad valetudinem conducibili delectu, ajunt; sed de salubritate eloquentiæ disquisitio est. In hac arte, si non idiota, nec imprudens es; si quid vales; dic aliquid ad propositum. Ille, ut erat humanioribus literis haud mediocriter informatus, mutavit prooemium, cæpitq; disserere.

§ I.

Quandoquidem mea sententia requiritur; ego ambitiosæ in verba, inflatæ, elatæ, atq; supra modum distentæ eloquentiæ morbo, nullum aliud efficacius remedium invenio, quàm ut præceptores, qui instituendæ in humanioribus artibus Juventutis operam profitentur, illi doceant Adolescentes, iter quoddam orationis planum, maturum, naturæ,

turæ, judicioq; conforme; modumq; loquendi, ut natura fert, pervulgatum, ſimplicem, nullis allegoricis ambagibus perplexum, neq; ſublime quidquam audere, neq; in altum ingenia volare ac luxuriare permittant. Hoc ſatiùs Diſcipulis inculcent, atq; ipſi in id ſolicitè incumbant, ut optimi juvenes, nedum humilem, verùm etiam humillimam dicendi rationem ſequantur, dummodo Oratio clara ſit, & bene ordinata. Ornamenta verò ſermonis, in quibus explicandis & addiſcendis, Scholæ inutiliter occupantur, anni teruntur, & memoria puerorum contabeſcit, non ex Præceptis, quibus, inepti Inſtitutores, omnes paginas implent, haurienda eſſe; ſed Lectio, ætas, uſus, imitatio hæc docebit.

Non caruit aſſenſoribus, Domini Medici Sententia. Erat, qui talem inſtituendi Oratoris rationem, placere ſibi, probariq; diceret: hanc demum eſſe brevem, planam, proximam, & expeditiſſimam viam comparandæ eloquentiæ, atq; omnis eruditionis adipiſcendæ, utile compendium.

§ 2.

Ego conſtitueram apud me, rigidum

abhinc

abhinc tenere ſilentium. Satìs enim me, cùm publicæ conflictiones, tum privatæ defatigaverant. Sed nacta plauſum Domini Doctoris Oratio, proritavit præcordia, ut taciturnitatis ruptis repagulis, conſilium medicum de Eloquentia curanda, frangerem, ac everterem. Dixi itaq;.

Olim in ſuperſtitioſa gentilitate, apud Halicarnaſſi populos, quoties Antiſtiti Minervæ, promiſſa barba, ad umbilicum usq; repentè, una nocte enaſceretur; triſtiſſima publicæ rei calamitas impendens, toties præſignificabatur. (*f*) Eximie Domine Doctor, an ſimilis oſtenti auctor eſſe vis? omnino. Nobilis ſiquidem pubes, ſeveri ac rugoſi ingenii, ſuſpenſæ ac meditabundæ orationis, ominoſa eſt, quamvis hæc in ſenſatis Viris maximopere ſuſpicimus. Hinc ait Quintilianus. *Ipſum genus eloquentiæ, aliud alios decet. Nam in Juvenibus paulò uberiora, & penè periclitantia feruntur. At in iiſdem, ſiccum & ſolicitum dicendi propoſitum, affectatione ipſa ſeveritatis, inviſum eſt.* (*g*) Qui nullas natus eſt gemmas trudere, nullis floribus hilareſcere, à tali frutice, quis maturos vel extundere, vel ſperare poterit fructus? Prætextati florem ævi, Togatæ Sapientiæ caſtigato velle pollere eloquio,

M eſt

(*f*) Theatrum Zvingeri (*g*) L. 11. c. 1.

est velle pueros scenam Catonis agere. Ut gravitatem personæ commodè simulare queant; ut Campani supercilii figuram, levioribus non evertant gesticulis; adaptatâ in acutum vel rotundum prominente barbâ, vultum coguntur induere, à lætitia sua dissidentem. Pueritia barbatula, vel portentum naturæ est, vel risus theatri. Talis, tamq; monstrosa est in flore adolescentiæ, gravitas orationis. Id, quod à me audistis, à Quintiliano mutuatus sum, & ille à Cicerone: *Illa mihi* (inquit) *in pueris natura minimum spei dabit, in qua ingenium judicio præsumitur. Maciem namq; in posterum minari solet, protinus omnibus membris expressus infans.* Volo se efferat in adolescente fœcunditas, *monet Cicero*, sit, unde aliquid, amputem. *Facile remedium est ubertatis, sterilia nullo labore vincuntur.* (h) Diceret quasi. Egregiè sanè teneram plantarum sobolem promovebit Insitor, qui non insolentibus calamis exilire, non luxuriare foliis ramusculos, non ubertim turgere gemmis, non læta frondium segete lascivire sinet germina. Quid tam severæ putationis educet falce? olim stolones & truncos, vel nullis, vel malignis tantùm fructibus felices. Siderationis vitio mitescunt, maturrimè

(h) L. 2. c 4.

rimè præcoqua mala: ideoq; citò vieta & caduca, non hyemis, non autumni ætatem ferunt. Tales spes proferunt tenera ingenia, tristi ac severæ eloquentiæ innutrita. Austeritatem Virorum pueri imbibent; insulsitatem infantium crepabunt viri. Iterum nec cogitanti, adest opportunè Quintilianus. *Nimia severitate, ingenia puerorum deficiunt, & dum omnia timent, nihil conantur. Quapropter, vitandus est præcipuè in pueris Magister aridus, non minùs, quàm teneris plantis, siccum & sine humore solum. Inde enim fiunt humiles statim, & velut terram spectantes, qui nihil supra quotidianum sermonem attollere audeant. Macies illis pro sanitate; & judicii loco infirmitas est.* (i) Probè intelligitis me nihil ex ingenio meo protulisse. Fabium duntaxat, quantùm memoriâ comprehendere potui, recitavi. Qui tandem jacentis Eloquentiæ studiosos, sic reprehendit. *Fugiunt & reformidant quidam omnem in dicendo voluptatem: nihil probantes, nisi planum & humile, & sine conatu. Ita dum timent nè aliquando cadant, semper jacebunt.* (k)

§ 3.

Nondum plenè & integrè Dominum

(i) Lib: 2. cap: 4. (k) Lib: 8, cap: 5,

num Doctorem expe ivi. Cùm unus ex Sapientissimis Reipublicæ Patribus, me interpellat. Multus tu es in confutandis, acer in convellendis aliorum Rhetoricis. Sed vosmet ipsi formandis bonis Oratoribus, quam viam tenetis? fac, ut sciamus. Fortè enim non estis tam inopes ab ejusmodi amicis, dicere volui, ab Æmulis, qui vestram instituendæ ad humanitatem juventutis rationem, cùm improbant, tum reformationem efflagitant. Alioqui, nisi emendaveritis, exilium minantur, ne diutiùs Rempublicam inficiatis.

Postulationi satisfacturus, solas Antiquorum auctoritates produxi. Quos improbant? quos reformatos fieri volunt? Ciceronem? Quintilianum? Plinium? Hos ego Eloquentiæ nostræ propugnatores, & assertores, plenis buccis, vobis coram ostendi. Ut verò excolendæ in re Oratoria juventutis, rationem & modum, quem tenemus, vobis exponam; quos nominavi eloquentiæ Principes, iterum induco. *Hoc esse curæ velim Eloquentiæ Doctoribus*, monet Quintilianus, *ut teneras adhuc mentes, more nutricum, molliùs alant, & satiari velut quodam jucundioris disciplinæ lacte patiantur. Audeat hæc ætas plura, & inveniat, & inventis gaude-*

gaudeat; sint licèt illa non satis sicca & severa. Melior est enim indoles læta, generosiq; conatus, & vel plura justo concipiens interim spiritus. (*l*) Concinit suo Magistro, non impar Discipulus, Fabio, Plinius. *Laxandos esse Eloquentiæ frenos, nec angustissimo gyro, ingeniorum impetus refringendos.* (*m*) Conjurat amicè Marcus Tullius. *Dulce illud Orationis genus, delectationis causâ comparatum, sententiis argutum, verbis sonans & affluens: non pugnæ, sed pompæ aptum: gymnasiis & palæstræ dicatum, Oratoris quasi incunabula sunt. Cujus nutrimentis educata Eloquentia, ipsa se postea colorat, ac roborat.* (*n*) Una trium eademq; sententia est. Quòd sicut alimentis infantiæ, destituta, & lactis expers proles, ad solidos cibos compulsa, succedentem ætatem invalidam, gracilem & macilentam trahit. Sic Eloquentiam non vivido sanguine incalescere, non movere lacertos, non par dignitati robur ostentare unquam posse, si non dulci quodam ingeniosæ amœnitatis nectare, satìs priùs lactata, imbuta, enutrita satìs fuerit. Horum doctrina Præceptorum, nostra excitandi, conformandi, confovendi, à primis igniculis, Oratoris, nostra regula est.

Eductam tali cunarum dulcedine juventu-

(*l*) Lib: 2. c. 4. (*m*) ad Lupercum. (*n*) In Oratore.

ventutem, ad quas deinde escas condocefacimus? Ciceroni morigeramur. Docet ille, Adolescentes, à minutis concertationibus, ad omnem dicendi vim traducendos esse. (*o*) Itaq; ad audenda robustiora, ad sublimem & Animorum victricem facundiam, studia & impetus juvenum transferimus, hortatu & verbis Quintiliani. Græcorum ille disertissimos, imitandos Scholæ suæ proposuit. *Quominus adjuvat sermo, rerum inventione pugnandum est. Sensus sublimes variiq; eruantur. Promovendi omnes affectus. Oratio translationum nitore illuminanda. Non possumus esse tam graciles? simus fortiores. Subtilitate vincimur? valeamus pondere. Proprietas penes illos est certior? copiâ vincamus.* (*p*) Prodesse etiam ducimus, acuendæ Juvenum æmulationi, Plinii doctrinam. Oratorem debere erigi, attolli, efferriq; vivacioribus validioribusq; figuris & sententiis. *Sunt enim maximè admirabilia, quæ maximè insperata.* (*q*) Cicero tandem nostrarum Præceptionum omnium, Pædagogus est. Hunc docentem inducimus. *Nemo unquam Oratorem, quòd latinè loqueretur, admiratus est: nemo eum verbis extulit, qui ita dixisset, ut, qui adessent, intelligerent, quid diceret: sed contempsit eum, qui minùs id facere potuisset. In quo igitur homines exhorrescunt? Qui distinctè, qui abundanter, qui illuminatè, & rebus & verbis dicit, & in ipsa oratione, numerum quendam versumq; conficit: qui sensa mentis sic explicat, ut eos, qui audiunt, quocunq; incubuerit ipse, possit impellere; hunc stupefacti dicentem intuentur: in hoc exclamant: hunc Deum, ut ita dicam, inter homines putant.* (*r*) Admirabilitatem Eloquentiæ his verbis commendari, eamq; neq; in puritate, neq; in claritate dictionis planæ & pervagatæ sitam esse, cui non exploratum erit? Quæ igitur est vis illa Eloquentiæ, quæ in admirationem homines adducit & rapit, docendo, movendo, delectando? Iterum ex Cicerone docemur, & docemus. *Svavis fit oratio, cùm aliquid aut invisum, aut inauditum, aut novum dicas. Delectat enim, quidquid est admirabile: maximeq; movet ea, quæ motum aliquem animi miscet Oratio.* (*s*)

(*o*) de Orato: Lib: 3. (*p*) Lib: 12. cap: 10.
(*q*) ad Lupercum.

Quod verò attinet ad exigendam scholasticam exercitationem styli, qui, judice Tullio, præstantissimus dicendi effector est; ea Studiosæ Juventuti diligenter inserimus, quæ idem Cicero dictat. *Omnes Sententiæ, verbaq; omnia, quæ sunt cujusq; generis maximè illustria: tum collocatio, verborumq; quædam*

(*r*) Lib: 3. de Oratore. (*s*) Lib: partit. Orat:

dam oratorio numero & modo conformatio, sub acumen styli subeant, necesse est. Hæc sunt, quæ clamores, & admirationes in bonis Oratoribus efficiunt. (*t*) Postremò Tullianum illud apophtegma, menti adolescentùm infigimus. *Eloquentiam, quæ admirationem non habet, nullam judico.* (*u*) Porro Eloquentia, naturæ non arti conformata, plana, simplex, jejuna, & humilis, quæ se supra quotidianum sermonem non attollit, non in sensus sublimiores assurgit, non figuris, non sententiis, non translationibus, non periodica rotunditate coruscat; nullisq; ad prolectandum optimum gustum, redundat illecebris, admirationem habet nullam: igitur nulla est.

Exposui nostram, instillandæ Tyronibus Artis Oratoriæ rationem. Contrariam ex ore Clarissimi Domini Doctoris percepistis. Utra ex his Eloquentia, ad veræ laudis gustum comparandum propior accedat? utra Reipublicæ rationibus meliùs militat? utiq; nec dubitatis. Non illa certè, quam Cicero, Consulari suo judicio, ineptam & nullam esse renuntiavit, dicere & falsam potuit. Sed hanc vobis maximè probari autumo, cui Romanæ facundiæ Principum Oratorum, unanimi voce, gravissima

(*t*) Lib. 1. de Oratore. (*u*) in Fragmen:

sima suffragatur auctoritas. Hinc facilè uno quasi ore consentietis, quænam ex his, ad excolendam in Artibus humanitatis Juventutem rectior utiliorq; Palæstra præferenda sit. Quæ minimè recta, minimè utilis habenda. Si quæ etiam Rhetorica, nescio quam luem non lucem ingeniis afflare, atq; velut aliqua pestis, ut regno exturbata sit, mereri traducitur, & diffamatur; quænam ex his, ad tale meritum vicinior verisimiliorq; justiùs reputari debeat; sapientissimè de tota re decidetis.

§ 4.

Variis interim colloquiis, alii se recreabant, alii distinebantur, alii etiam inter se jurgia miscebant. Quos inter, invenit locum alienæ famæ & honoris derogatio haud parum iniqua. Ut enim alia petulanter jactata non memorem, taxabantur quorundam opima Sacerdotia, sacrorum Præsulum opes, splendores, potentia, in invidiam vocabantur: neq; templorum magnificentiæ, censibus, auro & gemmis parcebat obtrectatio. Suboffensi malignis sermonibus, atq; subirati, nonnulli Proceres, adducta fronte, indignationem displicentiamq;

amq; animi sui manifestabant, volebantq; præcisam esse linguæ tam profanam libertatem; sed obstabat oblocutorum magnum popularitatis nomen. Quo intellecto, ego memet ipse solus objeci periculo. Et, cùm in præsentiarum aliud consilium non suppeteret, quò tam injuriosas loquacitates averterem; voce contenta, in hæc verba prorupi. Illustrissimi Domini. Suscipite indulgenter, si causam meam ad extremum usq; perorare voluero. Aliquid enim percuriosum, inexpectatum, sed & periculosum, & anceps est, quod mihi audendum sumpsi. Conticuerunt derepentè, dederunt aures, ordior ego.

Hactenus primos & præstantissimos Eloquentiæ Magistros, in aciem Duces habui. Jam capitis mei discrimine, destinavi summæ rei periculum facere. Contestor enim, deliberatum mihi esse, ut, si per vos licebit, pro Eloquentia propugnanda, duello decernam. Vox ista, simul ac ad prima pervenit subsellia, complosis pariter manibus, benè habet! conclamant, benè habet. Sed cum quo congressurus ac digladiaturus sis? elige. Oculis ego in diversas partes, cum gravitate circumjectis, ingredior dicere. Eximio Domino doctori ad respondendum debi-

debitor sum. Vestris enim compellationibus impeditus, illius, quandam propositionis partem, quæ omnino mihi silentio prætermittenda, dissimulandaq; non est, adhucdum indissolutam reliqui. Quare, incendor animo, ut vestro, jussu, liceat mihi cum Magnifico Doctore, quem honoris observantiâ, & cultu reverenti prævenio, liceat mihi velitatione nonnihil experiri. Instantissimè assenserunt ad unum omnes. Actutum ego. Clarissime Domine, animadverto te Virum insigniter doctum esse. Ex persona ipsa auguror, Te in aliqua Academia, plurima stipendia meruisse. Fortè & Artium Liberalium Magister, & Cartesianæ Philosophiæ Doctor creatus es. Ille respondit. Non inficior, neq; tu errâsti. Hoc ingressu capto, provoco ad manum, consero pugnam. Tua sententià fuit, quam audivimus à Te Vir doctissime: Tyronibus Eloquentiæ, humilem humiliorem, humillimam dicendi rationem concedendam instillandamq; esse: ornamenta verò Eloquentiæ ad lectionem, imitationemq; esse remittenda: quin etiam ad usum, & seram usq; ætatem comperendinas sermonis exornandi scientiam. Hoc utiq; nobis proposuisti. Etiam docui, inquit,

quit, & editis scriptis tractavi. Uro non diffitentem. Perspicisne, quibus te ipsum, tali doctrina, illaqueâsti plagis? Perspicisne, quod vestræ optimarum Artium Universitati malum procudisti? ut vestræ Academiæ Rhetorum officina claudatur, & Penitus aboleatur, hoc promoves, ad hoc efficiendũ, partibus omnibꝰ conspirâsti. Hæsit ille attonito similis. Quæ tu commenta somnias? ait. Quæ tu mihi suggessisti, inquio. Qua ratione id comprobare vel affirmare poteris? quærit. Dico: tuâ non meâ: tuis te pingam coloribus: te, tibi, assertæ rei auctorem dabo. Dixit adhuc: intelligam, quid ad rem adferes. Postulo ego: da aurem diligentem, oculîs rationem capies. Dic enim Quid est Rhetorica? doce, explica, optime Magister. Definitivè, peculiariter, & propriè, *Ars ornandi sermonis est.* Quo enim ab aliis scientiis & artibus Rhetor distinguitur? unicè ornata dictione. Nam scienter & peritè loqui, et, si addere vis, clarè, solidè, robustè, atq; ordinatè loqui, nòrunt Philosophi, Jurisconsulti, Medici, & alii rei Oratoriæ penitus rudes: cõformiter autem ad naturam, omnes etiam rusticissimi. Ornatè, solus nonnisi Rhetor. Tam illustrem

strem veritatem contrá, si hiscere audebis, Cicero te profligabit & contundet. *Unum afferunt proprium ii, qui benè dicunt, compositam, ornatam, artificio quodam & expolitione distinctam Orationem* (x) Quæro ulteriùs, quænam sunt hæc ornamentá? quæ compositam, ornatam, artificio & expolitione distinctam reddunt eloquentiam. Cicero ista potissimùm enucleat: Numeros, atq; Verborum Sententiarumq; Translationes & Figuras, quas Orationis lumina, & quasi insignia vocat (y) Dicit enim. *Duo sunt, quæ Orationem condiunt: Verborum numerorumq; jucunditas. Quosdam enim numeros,* [cum numeris] *tanquam purpuram misceri oportet. Et ex verborum collocatione, quæ sumuntur quasi lumina, magnum afferunt ornatum Orationi. Et ex omni genere translationes frequentissimæ, propter similitudinem, transferunt animos, movent, ac referunt, huc ac illuc, qui cogitationis motus celeriter agitatus, per se ipse delectat. Et non est aliud Oratoriè dicere, nisi plerasq; vel omnes aliqua specie illuminare sententias.* (z) Numerus, & quasi versus quidam periodicus, compositam rotundamq;: translationes, delectabilem & splendidam: figuræ verborum, torrentem & copiosam, sententiarum figuræ; vehementem

(x) Lib: 3. de Orat. (y) In Oratore. (z) Oratore ad Brutum.

mentem & fortem reddunt eloquentiam. Hæc verò tu non ab aliquo Magiſtro, ſed ab uſu, lectione, imitatione, ætate, diſci debere aſſeris? Ergo Scholam Oratoriam evertis penitus & tollis. Quid enim docebit Præceptor Eloquentiæ? Dicis humilem, humillimam, ſed verè Latinam, & naturæ conformem dicendi rationem. De numeroſa, plena, & periodis circumſcripta Oratione, certisq́; verborum ac ſententiarum varianda luminibus, & quaſi Inſignibus decoranda quid tractabit? Nihil: lectio, ætas, uſus, imitatio hæc docebit. Nihil igitur aget, quod diſertim, ſpeciatim & propriè Rhetorica eſt. Quid ergo? Hoc tibi dico: Grammatici Præceptoris perſonam utcunq́; ſuſtinebit.

Imperturbatus eousq́; Dominus Doctor, jam primùm excandeſcentiæ ſuccubuit, Cavillaris, exclamat: Rhetoricam docemus, eamq́; ad primævum aureum decus, ad veræ laudis guſtum benè recoctam, benè caſtigatam, ac reformatam. Contrà ſtrictim & prævalidè inſector hominem. Quoniam reclamitas, repugnas, & ſtramineum ſcutulum centies jam perforatum opponis; Fabium Quintilianum Tibi Magiſtrum ex adverſo conſtituo: Capite 9no Libri 1mi *De officio Grammatici* ſic docentem. *Hæc profeſſio, ætates nondum Rhetorem capientes inſtituit: ut narrare ſermone puro, & nihil ſe ſupra modum extollente, tandemq́; gracilitatem ſtylo exigere condiſcant.* Recole ſingula. Quid hìc negabis? Non idem ſunt gracilis, pura, & nihil ſe ſupra modum extollens elocutio, atq́; humilis, verè latina, & naturæ conformis dicendi ratio? Quid hìc diſtingues? Schola, in qua nonniſi humilis ſermo, verè latinus, naturæ conformis, nihilq́; ſupra modum elatus docetur & condiſcitur, nondum Rhetorem capiens eſt. Nec igitur primoribus labris attingit Oratoriam. Quâ poteris illi Eloquentiæ nomen affingere, niſi falsò? aut quod aliud conquiſitum nomen illi facies? Itaq́; ſolis luce clariùs eſt: Grammaticæ duntaxat literaturæ ſtudium eſſe, ad quod damnatis perdiſcendæ cupidos Eloquentiæ Candidatos: contraveniente Cicerone, qui in quovis depoſcit ac requirit Oratore, quod de ſe profitetur: *Quando enim nobis ullus orationis vel copioſæ, vel elegantis ornatus defuit?* (a)

Ex his porro, ut diſcas, quàm acutus gladius, opinioſiſſimum pectus tuum, ad capulum usq́; induet, atq́; trajiciet; diſpice robur Conſecutionis, quâ te jam percutio. Oculis

(a) De finibus bonorum.

Oculîs certè palpari poteſt, quod ex tanta rationum evidentia Conſequens erumpit. Nimirum Rhetoricam, ſola vana uſurpatione talem, quæ in docendo, ultra Grammaticas compoſitiones nihil quidquam progreditur; & ad ea, quæ oratoris propria ſunt, non aſcendit: in qua nihil, quod nutrire facundiam, quod ornare, comere, gratiisq́; condire, quod illuminare, acuere, attollere; quod vivido ſpiritu animare, quod vires Eloquentiæ augere poſſit, nihil traditur; malè feriatam & penitus nullam eſſe, operæ pretium facturam nullum: humanioribus ſcientiis obeſſe magìs, quàm prodeſſe; aquam perdere, & bonis Artibus immane diſpendium creare. Proinde, tanquam hebetem, ſterilem, incommodam, inutilem: & non jam imaginario vel Sophiſtico cujuſpiam opinatoris portento; ſed manifeſtè, certò, ac evidenter falſam, malam, atq́; à rationibus Reipublicæ alieniſſimam: ut, quæ, Generoſæ Juventuti adeò ſummè neceſſarium politioris ornatæq́; Eloquentiæ ſtudium omne, ſpes omnes, omnemq́; exſpectationem decoquit; abrogandam, tollendam, extinguendamq́; eſſe, ne diutiùs Rempublicam inficiat.

Satiſne fortiter, Doctor Inclyte, à temetipſo

metipſo confoſſus, à temetipſo non à me contrucidatus es? Verùm precibus omnibus te obteſtor, Vir Eloquentiæ Conſultiſſime, ne propterea inexpiabili animo ſis. Summus tu meus es! Si quod provocationis vitium in me offendiſti, deprecor, hanc noxam condona mihi. Noſti enim decretorii Martis morem rigidiſſimum, ut conjunctione animorum ſumma certare poſſim, veniam ignoſcendi efflagitare poſſim, parcere æmulo non poſſim. Quarè, plagam, quæ tibi imis in præcordiis ſedit, neceſſe eſt æquo animo, placatè ſine ſtomacho perferas. Sed rogo te, parce iterum! Dolet cordi meo vehementer! Dolore animum meum diſrumpit id, quod dicam. Unum adhuc ſubire vulnus debebis. Unicum decumanum ictum expediam, & jam in omne tempus te collocabo.

Id, quod robuſtiſſima Ratione concluſi, quid putas? non intelliget hoc Reſpublica? non graviſſimus Senatus Patres Conſcripti? non Viri Principes, atq́; univerſa Nobilitas? Sapientiſſimi ſunt, intelligent. Prudentiâ lyncei ſunt, perſpicient. In Arte Eloquentiæ conſummatiſſimi ſunt, agnoſcent. Quid ſententiis ſuis rogabunt? Quid communibus definient ſuffragiis?

Quid publicis mandabunt edictis? Videor mihi audire talem decisionem, talem sanctionem.

PURA ET EMENDATA LATINITAS, ET NATURÆ CONFORMIS, HUMILIS, NIHILQUE SUPRA MODUM ELATA DICTIO, UT DOCEATUR, GRAMMATICORUM EST PROFESSIO.

ORNANDI SERMONIS ARTIFICIUM QUOD PROPRIE RHETORICA EST; OPTIMA PRÆCEPTRIX LECTIO, ÆTAS, USUS, IMITATIO EDOCEBIT.

DOCETE ERGO BONI VIRI GRAMMATICARUM CLASSES INSTITUTIONUM: ET NON MENDOSAS ALIQUAS COMPENDIOSI DISPENDII GRAMMATICAS INAUDITIUNCULAS, EX QUIBUS PUERI NIHIL PROFICIANT, SED EMMANNUELIS REGULAS DILIGENTER EXPLICATE.

ELOQUENTIÆ SCHOLA.
CLAUDATUR.

Prospere cecidit dimicatio. Totus enim ille florentissimus frequentissimusq; consessus, statim in plausus erupit. Hoc habet! Hoc habet! conclamatum est ab omnibus. Effecitq; admurmurationis ille fragor, ut reliqua persequi, & quæ ex conclusis succrescebant, consectaria pertexere, neutiquam potuerim. Tantummodo cum Magnifico Doctore, in gratiam redire quàm celerrimè institi. Atq; interpositîs primæ dignitatis Mediatoribûs, ægrè quidem ac difficulter, sed tamen coaluit amicitia, officiîs affabilitatis delinita: ubi inter alia, dixi. Hæc à me prolata, Vir Præstantissime, quæso, ut pro tua, quâ me vincis, animi æquitate, moderatione, judicio, non in sinistræ voluntatis interpretationem vertas, sed boni consule. Nullius intentatæ læsionis mihi conscius sum. Sive punctim, sive cæsim enectus es; tuus ensis te feriit, tuus clypeus te perdidit, tuus pugio te confecit. Ut enim dixit Cicero: securim in tua ipse petita injecisti, in tuum ipse mucronem incurristi. (b)

Et pateris telis vulnera facta tuis,
Ovidius.

Finem tandem accepit congressio, & simul docta jucundaq; conversatio. Jam enim diutiûs prorogati temporis, & accubitûs lassitudine commoti omnes, linquere cænationem festinaverunt. E vestigio, mota triclinia sunt: sublatæ mensæ: Proceres in majorem aulam, musicis concentibus per-

(b) pro Murena, & pro Cecina.

personantem, invitati & inducti. Mihi verò, post effusam plurimæ humanitatis, gratulationis, honoris testificationem, ad abeundum optio facta est.

Ad Lectorem.

Breve Alloquium.

Diutina lectione fessum, non multis te demoror: Sive Oratorem, sive magìs Philosophum profiteris; utriusq; scientiæ acerrimos existimatores tene diligenter, & tenaciter dilige. Quintilianum, qui te sic affatur *Sunt, qui omnem in dicendo nitorem, & quidquid studio paratur, ut affectata & parum naturalia improbant: Verbumq; simplicatate, imitationem Antiquitatis affectant. Verùm illi persvásione sua fruantur; nostro labori dent veniam.* (c) Et Consulem Romanum Philosophantem, qui, ex Persona Luculli, sic admonet. *Tunè eam Philosophiam sequêre? quæ confundit*

(c) Lib: XI. cap: I.

fundit vera cum falsis: spoliat nos judicio: privat approbatione: animantes vitâ & omnibûs orbat sensibûs. (d) Totus verò Dissertationum contextus quid persvadeat? quid pervincat? non obscurè cernis. Novitiam scilicet in tractandis jejunè, tumultuariè, parcè, & perperàm liberalibus Disciplinis, factionem, magnis passibus eò contendere, flagrantiq; studio accurare, ut Respublica optimis Philosophis æquè ac Oratoribus, atq; etiam bonis Grammaticis hactenus abundans; in brevi, planè & plenè orbata, inermis egena & vacua inveniatur. Id si solida ratione deductum sit, an non? Si luculenter ad evidentiam demonstratum, an secus? Tuum, Lector Benevole tribunal esto, fer sententiam.

* † *

* *

N 3

(d) Quæst: Academ: lib: 2.

RERUM TRACTATARUM UTILIS BREVITAS

ſive

Summa, & analyſis Diſſertationum.

§ I.

ELoquentiam definivit Iſocrates: eſſe artem, quæ novit ex magnis parva, ex parvis magna facere. Rectè ſatìs. Ad amplificationem enim reſpicit, per quam Rhetor à Dialectico differt. Concordat Cicero dicens: *Summa laus Eloquentiæ eſt, amplificare rem in ornando: quod valet non ſolùm ad augendum, ſed etiam ad extenuandum.* (lib: 3. de Oratore.) Claſſica tamen & ab omnibus receptiſſima Definitio eſt, in quam

Cice-

Cicero & Quintilianus conveniunt: esse *Artem benè dicendi.* Quid autem postulet hæc ars? Cicero plenissimè comprehendit. *Ars benè dicendi est, scienter, peritè, & ornatè dicere.* Scita & perita dictio competit etiam non Oratori, ornatè dicere, solius Eloquentis professio est. *Unum afferunt proprium ii, qui benè dicunt: compositam, ornatam, artificio quodam & expolitione distinctam Orationem.* (Cicero) Ex quo clarum est, quòd Oratorem, tanquam propria virtus, distinguat Sermo ornatus. Hinc sequitur, talem Scholam, quæ alia omnia, & non artem sermonis ornatricem tradit & explicat; exornandæq; Orationis scientiam nonnisi ab usu, lectione, imitatione, ætate, petendam esse docet, falsò & ex vano Eloquentiæ nomen sibi arrogare.

§ 2.

Hinc etiam liquet: in devia multasq; aberrationes necessariò rapi Præceptorem, qui Tullianâ rectissimâ Definitione spretâ & abjectâ; aliam novam, ex suo ingenio fabricare præsumit: descriptionemquè Eloquentiæ malè natam, pejùs consarcinatam, neq; caput neq; pedes habentem, totam

tam vitiosam, pro legitima & vera statuit, auctoritate fundata in verbo Ajo. Licentiam incredibilem Tullius non sustinet, quin exprobret inscientiam. *Exiguis tu quibusdam finibus totum Oratoris munus circumdedisti: Amplitudo enim Eloquentiæ infinita est, nec habet finitam aliquam regionem, cujus terminis septa teneatur.* (Lib: 2. de Oratore.)

§ 3.

Quælibet res est finis sui. & à fine reliqua ordinantur. Dicit Philosophus. (*a*) Hinc quælibet res in tantum bona vel mala, vera vel falsa dicitur, inquantum habilis vel inhabilis est ad finem suum, Sic gladium, vaginâ licèt ignobilî, sed benè ferreum, arte induratum, elimatum, bonum vocamus & verum gladium. Si verò vel aureus, vel in vagina aurea gemmisq; distincta, plumbeus fuerit; falsus malusq; est; quia ad pugnam ineptus. Tribus igitur supradictis, scientis, peritæ, & ornatæ, dotibus prædita Eloquentia, ut sit vera, debet esse apta fini suo, ad quem à natura inventa est. Ad salutem & conservationem hominum, datam esse à natura Eloquentiam, asseverat. Cicero. Et, si munus Oratoris per-

(a) Aristot: Ethic:

perpendimus, nihil poteſt eſſe certiùs. Partes enim Oratoris ſunt: laudare, ſvadere, defendere, honeſta, utilia, juſta: damnare inhoneſta, nociva, iniqua. Secundùm ergo triplex Orationis genus Demonſtrativum, Deliberativum, & Judiciale; finis Eloquentiæ eſt Honeſtas, Utilitas, Æquitas. Hunc finem nec intendere vel proſequi; nec promovere vel perficere poteſt, niſi probus homo. Quâ enim fide? quâ efficaciâ? quâ auctoritate? quâ approbatione? laudabit honeſtatem infamis & perditus? Utilitatem proditor? æquitatem iniquus? Quocirca, conſenſione Catonis, Ciceronis, Quintiliani, & omnium Eloquentiæ Patrûm, verus Orator definitivè eſt. *Vir bonus ſcienter, peritè, & ornatè dicendi gnarus.* Nec futurum quidèm Oratorem, niſi virum bonum, qui plenâ & perfectâ utatur Eloquentiâ. Quintil: lib: 2. cap. 20. & lib. 22. cap. 1. Conſequenter, vera Eloquentia eſt *viri boni ſciens, perita, & ornata dictio.* Talem cuivis Reipublicæ ſummè neceſſariam eſſe, pronuntiat Cicero. *Sic enim ſtatuo,* inquit, *perfecti Oratoris moderatione & ſapientiâ non ſolùm privatorum plurimorum; ſed & univerſæ Reipublicæ ſalutem maximè contineri.* (Lib: 1. de Oratore.) Tali doctrina optimos à teneris

neris adoleſcentes imbuimus: ut, ſi velint evadere boni Oratores; ſtudeant eſſe boni Patriæ Cives.

§ 4.

E contrario noſcitur, quæ ſit falſa Eloquentia? Nempe ea, quæ adverſatur fini, ad quem à natura data eſt. Quis falſus & malus Orator? nempe is, qui acquiſitis viribus Eloquentiæ abutitur contra ipſius finem. Unam de ſummis virtutibus eſſe Eloquentiam, probat Cicero lib: 3. de Oratore At verò vis illa dicendi, & contentio Orationis, (*ea eſt quam Eloquentiam dicimus*, ait Cicero) *ſi in malos incidat, & ipſa judicanda eſt malum.* ait Fabius. Non erit igitur virtus. Sed ſicut ars præliandi, fortitudo & audacia, ſi à latronibus exerceatur; non virtus eſt, ſed deteſtabilis peſtifera atrocitas; *ita nihil publicis privatisq; rebus pernicioſius eſt eloquentiâ, ſi malitiam inſtruxerit.* (Quintil:) Ex quo habemus, qualis eloquentiæ pravitas à rationibus Reipublicæ aliena ſit? qualem Plato exagitabat? inſectatus eſt Cato? edicto ſuſtulit Craſſus? propulſabant Athenienſes? averſabantur Lacones? (Quintil: lib: 2. cap. 16. & 20.)

Inor-

Inornata verò, simplex, naturalis & pervagata dictio, congruentiùs vel non Oratoria, vel nulla potiùs quàm falsa eloquentia dici meretur.

§ 5.

Secundùm Ciceronem, Ars definitivè est, *quæ penitus perspectis, & in unum exitum spectantibus, & nunquam fallentibus rebus continetur.* (1mo de Oratore) Eloquentiæ verò Ars est, *quæ dat rationes certas, & præcepta dicendi, quæ habent ordinem, & quasdam errare in dicendo non patientes vias.* (de claris Oratoribus) Unde effluit: Eloquentiam, secundùm quod est Ars, seu scientia, nihil aliud esse, nisi copiam Præceptorum dicendi, quæ nunquam fallant. Et cùm hæc Ars, naturâ suâ, sermonis ornatrix sit; necessariò constituitur talibûs Præceptîs, quæ comprehendant omnia sermonis ornamenta. Hinc ruit doctrina Novitiorum Rhetorum, qui rationem ornandæ Eloquentiæ, ad lectionem, usum imitationemq; remittunt: præcepta artis procul amandant, & conviciis prosequuntur. Quo factô, quid aliud agunt? nisi cunctam Rhetoricam, à Schola Eloquentiæ amoliuntur.

Non

Non ita desipuit Cicero, qui palàm contestatur. *Si profiteor me dicendi, præcepta, & quasi vias, quæ ad eloquentiam ferant, Studiosis traditurum; quis tandem id justus Æstimator reprehendet?* (in Bruto) At ecce repertus est non quidem justus, sed iniquus æstimatot, qui scientiam ornandi sermonis præceptricem reprehendat dicens. Quis Orator benè exercitatus, animum intendit ad ea præcepta, quæ de Tropis, periodis, figuris, aliisq; ornandæ orationis artificiis adolescens tanta contentione didicit? Egregiam, solidam, robustam percontationem! vel in ipsis nugacissimis nugatoribus vix tolerandam. Quasi aliquis diceret: quis Archi-tectus, postquam omnes artis suæ regulas perfectè condidicit; dum opus aggreditur, iterum discit? Non discit, sed exercet artem expeditissimè quàm optimè didicit. Cujus nisi præceptis animum perfectè imbutum haberet; fabricæ opus ne digito quidem attentare, multò minùs prudenter & aptè tractare posset. Istiusmodi argutulis Sophistis, sive Ciceronis sensu & voce, Rhetorum Quisquiliis (*b*) optimum dat consilium Fabius Quintilianus: ut illi *persvasione sua fruantur*; plaudimus. *Nostro labori dent veniam; justa poscimus.*

§ 6,

(*b*) Omitto Numerium, Serrannm, cæterasq; quisquilias seditionis Clodianæ. Cic: pro Sestio.

§ 6.

Omnis Artis excogitatio, circa formam operis versatur. Hanc unicè respicit, hanc solam effingit, excolit, ac elaborat. Cùm igitur Eloquentia sit de genere Artis; Forma Oratoriæ dictionis, Artis opus est: à doctrina inducitur. Et cum partes Oratoriæ Artis sunt: Inventio, Dispositio, Elocutio, non minoris artificii ac laboris partem sibi vendicat sermonis exornatio, ac rectè disposita inventio. Quarè, qui Eloquentiæ formam assignant naturam, halucinantur, falluntur & fallunt. Confundunt enim & conciliare volunt sermonem merè naturalem, qui cùm sit usitatus, simplex, quotidianus; etiam incomptus, illepidus, atteñuatus & impolitus sit, necesse est. Et sermonem artificialem, cujus quasi natura est, abundanter, argutè, graphicè, comiter splendidè, elaboratè, sublatè, amplissimè loqui. (Cicero in Bruto) Sed ut perpetuam quandam fallaciam, in amphibologia vocis istius *Natura* fabricatam jugulemus; facilis & expedita distinctio est. Natura enim, sumpta nudè secundùm se, nihil ultra verborum proprietatem elaborat (Quintil.)

Si verò naturam accipias cum iis muneribus & facultatibus, quibus à natura ipsa ornamur; ùt sunt secundùm Ciceronem: *celeres quidam ac excitati motus animi, ad excogitandum acuti, ad explicandum ornandumq; uberes, ad memoriam firmi* (de Orat: Lib: 1.) insuper nobilitas ingenii, solertia, comitas, lenitas, lepos, facilitas: indoles excelsa, acris, vibrans, diligens &c. His, atq; doctrinæ præsidiis instructa natura, vim ad dicendum affert maximam, inquit Cicero, estq; artifex ipsa arte solertior. Quæ omnia, cùm naturæ propria sint; etiam Eloquentia naturalis erit. *Omnia enim quæ Ars consummaverit, à natura initium habent. Et propterea, id maximè naturale est, quod fieri natura optimè patitur.* (Quintil.) Semper tamen non formæ, sed materiæ, partes, aget ipsa natura. Ars enim est, quæ Oratoris formam inducit; natura quæ induit. Illa fingit; hæc fingitur. *Ars summa, materia optima melior.* (Quintil.)

§ 7.

Naturæ etiam nomine venit singulare quoddam Ingenii temperamentum, & Qualitatum propria in unoquoq; dispositio, alia

alia & alia in singulis. Quiddam Heroicum vocant recentiores; Bonum ingenitum Quintilianus; incredibilem & Divinam vim ingenii, Cicero; Genium Martialis; qualitatem personalem alii. Cujus imitatio plerumq; infeliciter cadit. Sic aliter alauda modulatur, aliter carduelis, Aliter Sturnus, aliter rubecula, aliter merulus, aliter passer canarius, aliter luscinia: unumquodq; optimè, secundùm naturam. Horum vocem, si vel corvus, vel psittacus æmuletur; carmen dabunt perridiculum. Sic Orator, qui se in alienam naturam tota voluntate conjicit, neq; suó moduló, suo pede se metitur; non aliter ac simius, vel Horatii cornicula risum movebit. Dicere ergo secundùm naturam, est dicere secundùm nativum genium: atq; omnem artem, eruditionem, Auctorum observationem, æmulationemq; eò conferre, ut cuncta quodammodo in tuum sanguinem vertas, sermonisq; vultu, animi ac ingenii tui faciem repræsentes. Et, cùm *totidem ferè ingeniorum sint, quot corporum formæ* (Quintil:) *Naturæ autem variæ & voluntates, multùm inter se distantia efficiunt genera dicendi.* (Cicero.) Sequitur, nullum insignem Oratorem inveniri posse, quem non debeas singularem

larem

larem & novum dicere. Ita Cicero. *Aspicite*, inquit, *quid intersit inter Oratorum studia atq; naturas. Suavitatem Isocrates, subtilitatem Lysias, acumen Hyperides, sonitum Æschines, vim Demosthenes habuit. Quis eorum non egregius? tamen quis cujusquam, nisi sui similis?* Tandem concludit: *Quotquot unquam fore Oratores, totidem futura genera dicendi. Illudq; semper esse admirabile in quavis oratione, quod cùm in iisdem sententiis verbisq; versentur; summas habeant dissimilitudines. Non sic, ut alii vituperandi sint, sed ut in dispari genere laudentur.* (Lib: 3. de Oratore.) Unusquisq; enim præcipuâ & quasi inimitabili proprietate superat: difficile judicium est, quis alteri anteponendus sit: ipsa dissimilitudine comparabiles prædicantur. Et hoc efficit dispar singulorum Natura.

§ 8.

Nihilominus triplici Oratoris officio, singulariter respondet triplex character & varietas dictionis. *Summissus, Uberior, & Amplissimus.* Singulos enucleat Cicero.

Summissus, tenuis & humilis Orator consuetu-

suetu-

ſvetudinem imitans, ab indiſertis plùs re, quàm opinione differens, removebit omnem inſignem ornatum: nec numeri, nec verba verbis coagmentata, nec calamiſtri, nec fucati medicamenta ruboris adhibebuntur. Verecundus erit Oratoriæ ſupellectilis uſus: translationum parcus nec audax. Elegantia ſolùm & munditia remanebit. Sermo erit purus: dilucidè planeq; dicetur. Erit aliquid venuſtum, ſed non ut appareat. Erit non plurimi ſanguinis, habeat tamen aliquid ſucci. Acutæ crebræq; ſententiæ ponentur, ſed neſcio unde ex abdito erutæ. Subtilis hæc Oratio etiam incompta delectabit: habebitq; non ingratam negligentiam hominis, de re magis, quàm de verbis laborantis. Acutè & veteratoriè dicet.

Alterum uberius genus. Huic formæ, omnia dicendi ornamenta conveniunt, plurimumq; ineſt ſvavitatis. Illuſtrant eam, quaſi ſtellæ quædam, translata verba atq; immutata: verborumq; item lumina omnia, multa etiam ſententiarum. Huc pertinet quoddam etiam inſigne & florens, pictum & expolitum orationis genus, in quo omnes verborum, omnes ſententiarum lepôres illigantur.

Tertius eſt ille amplus, gravis, acer, ardens ornatus, in quo profectò vis maxima eſt. Hujus eloquentiæ eſt, tractare animos, atq; omni

omni modo permovere: nunc perfringere, nunc irrumpere in ſenſus: evellere inſitas, inſerere novas opiniones. Hæc eſt, cujus ornatum dicendi & copiam admiratæ Gentes, eloquentiam plurimàm apud ſe valere paſſæ ſunt: quæ curſu magno ſonituq; fertur, quam ſuſpiciunt omnes, quam admirantur, quam ſe aſſequi poſſe diffidunt. Hactenus Cicero in Oratore.

§ 9.

Hinc elicitur, & apparet tres haſce eloquentiæ figuras æquè probabiles, mutuò diſcordare, pugnare invicem & proprietatibus contrapoſitis diſcrepare. Humilis, non tumida plana, non obſcura, inaffectata eſt primi generis. Non humilis, ambitioſa, ſupra modum elata, affectatione & pompa inſignis, conferta, ſpiſſa, & vel opacis anfractibus illuſtris eſt tertii generis. Diſtat ab utroq; & ab utroq; aliquid derivat medium genus. Leniſſimè ſerpit prima ut torrens exiguus; collectis imbribus augeſcit altera, ùt flumen: frangit aggeres, complanat moles, ſcopulos & arbores magna vi ac impetu rapit & convolvit tertia ut eluvio.

Sicut autem proprietatibus oppoſita ſunt

ſunt tria hæc dicendi genera; ſic & ornatu plurimùm diſſentiunt. Decet adſcita inaffectatæ ſimplicitatis compoſitio: decet expolita comitas & venuſtas: decet vehemens concitata vis, impetus, quidam etiam quaſi entheus & fulmen verborum. Decora eſt magnificentia; decora ſummiſſio. Præbent pulchritudinem calamiſtri & purpuriſſum; præbet horum parſimonia, præbet & negligentia, quædam etiam ruſticitas, commoda quandoq; nec inſvavis erit: prout de celebri quodam ſacro Oratore, memoriæ proditum eſt: *Ejus oratio ita erat inconcinna, inelegans; ut ipſa inimitabili inconcinnitate fieret elegantior.* (c) Id verò non ſimul & ubiq; ſed pro re & tempore: prout dictat argumenti diverſitas, & diſpar orationis genus, vel Oratoris genius. Quemadmodum ſeverum armorum fulgur, & galeæ criſta, & phaleræ ornant militem; inermis verò & nuda paupertas, athletæ lenocinatur. Medius horum eſt civilior habitus: neq; ita ſuperbus, neq; adeò humilis: ſed moderatus, cultus tamen, atq; intra modum, perelegantis nitoris, ac lenocinii diligentiſſimus.

§ 10.

(c) De Emmanuele Sa, S J. prodidit Alegambe.

§ 10.

Tam diverſa, ſibiq; contraria benè ornateq; dicendi genera, ut ſub unam definitionem veniant; nihil tale continere debet Eloquentiæ deſcriptio, quod uni duntaxat competat generi vel ſpeciei, ſed non omni. Neq; attingere debet proprietates ſingularium, ſed tantùm communes omnium. Id præcipit lex Dialecticæ ſacroſancta ac inviolabilis. Quam bonæ definitionis regulam, ſicut & totam rationalem ac diſputatricem ſcientiam, quia cum Epicuro irridet, nihilq; penſi habet nova quæpiam emendatricis, vel quod magìs quadrat, emendandæ Scholæ eloquentiæ; idcirco tota ſua baſis & ſubſtructio, quam ſibi novô ingeniô machinata eſt, à Cicerone ſubvertitur, & ſolo æquatur. Definitionem enim, quam tanquam Achillem poſuit, non cohærenter farcitam, monſtroſamq; eſſe, Cicero clarè demonſtrat.

Primò enim ubi ſtatuit: Ajo Eloquentiam debere eſſe ſolidam & robuſtam; in ea cum Catone hæreſi eſt, quæ nullum admittit florem orationis. Quis enim in flore ſoliditatem? robur & vim in lepôre? in feſtiva urbanitate gravitatem quis requirit?

rit? At enim, per Ciceronem, eſt quoddam orationis genus, & quidem *inſigne, florens, pictum & expolitum, in quo omnes verborum ſententiarumq; lepôres illigantur.* 2dô Debere eſſe ornatam, non levem, non affectatam. Sit verum de aliqua; falſum eſt de quavis indiſcriminatim eloquentia. Nam primum genus, ùt affectationem defugit; ſic numeros, ſic calamiſtros, ſic translationes, ſic omnem ferè oratoriam ſupellectilem: elegantia ſolùm & munditia remanebit, inquit Cicero. At 2dò generi, omnia dicendi ornamenta conveniunt, totaq; ſupellex oratoria. Quæ illa? numeri, tropi, verborum ſententiarumq; lepôres & figuræ. Atqui hæc lumina, magnificentiam, oſtentationem, & pompam non reſpuunt; non ergo affectationem excludunt, quæ ab illis, voce differt, ſignificatione non differt. Ut igitur primum genus, inaffectata vel neglecta; ita ſecundum genus affectatior perornat condecentia. Præterea, omnia ornamenta quid comprehendunt? quidquid ornare ſermonem poteſt. An non ornant ingenii acumina? antitheta? luſus in verbo? cæteræq; argutiæ? Sed hæc fortè levia ſunt, dices; Fac eſſe, ſit ſanè. Sed delectant, ſed movent, pungunt, jucunda, admi-

admiranda ſunt. *Libandus eſt ex omni genere facetiarum quidam lepos, quo tanquam ſale, perſpergatur omnis oratio: eò, quod admirantur omnes acumen uno verbo ſæpè poſitum.* (Cicero.) Tertiò. Debere eſſe non tumidam. Non igitur ſupra modum elatam, neq; grandiloquam, cum ampla ſententiarum gravitate, & majeſtate verborum. Hæc enim ſpeciem inflationis præſeferunt. Atqui tales Oratores his ipſis verbis Cicero vehementer commendat (in Oratore.) Ipſe etiam Tullius non rarò ſupra modum elatus eſt. (Quintil.) Tertium certè dicendi genus, effectus illos mirabiles perfringendi & irrumpendi in ſenſus, minimè ſortietur, ſine quadam animi ſublatione, contentione, vi & impetu: & ideo curſu ſonituq; magno fertur. 4tò. Debere eſſe naturæ, animi ſui ſenſa ingenuè explicare volenti, conformem. Hoc de ſecundo & tertio dicendi genere nullus admittet; de primo ſic pronuntio. Talis dicendi character non utiq; plebeius eſt, nec expers artis; quinimo, quantò occultioris tectioris, tantò quæſitioris artificii ſectator eſt. Hinc Cicero: *Hæc Orationis ſubtilitas imitabilis quidem illa videtur eſſe exiſtimanti: Sed nihil minùs experienti.* (In Oratore.) Ipſa illa indiſertæ ſimplicitatis diſſi-

dissimulantia argutula est. Deniq; callidè & veteratoriè dicet, inquit Cicero; non erit igitur character animi candidè ac ingenuè sua sensa explicantis. De quovis ergo artificioso dicendi genere verissimus est Quintilianus. *Natura, materiæ; Ars Doctrinæ est. Hæc fingit, illa fingitur.*

§ II.

Eadem Definitio repugnantiis scatet. Cùm enim universaliter, & rectè, omnem eloquentiam ornatam esse vult; aliqua autem vera eloquentia est, cui omnia dicendi ornamenta conveniunt; necessariò nihil excludit quod ornare sermonem possit, nisi velit & Ciceroni & rationi contravenire. Cùm autem nullam suscipit eloquentiam, nisi quæ sit solida & robusta; omni amænitatis flore, voluptate, & lepôre, aliquam ornatissimam, in qua omnes dicendi lepôres illigantur, denudat eloquentiam. Cùm omnem inaffectatam esse requirit; magnificentiæ, ostentationis, & pompæ splendorem exstinguit. Tandem cùm dicit: ajo Eloquentiam debere esse naturæ conformem; quidquid ornamenti ab arte provenire potest, eradit. Hæc enim omnia, ùt sunt

numeri

numeri periodici, verborum sententiarumq; translationes & figuræ, sunt elegantia formæ, & concinnitudo, quam ars inducit. Naturalis autem forma, talium pigmentorum insolens ac expers est: solam verborum simplicitatem proprietatemq; expetit. Quid igitur enucleat talis doctrina? nempe, omnem eloquentiam debere esse ornatam simul & inornatam: affabrè ex arte laboratam; & infabrè, prout à natura fit, sinè comptu, sinè coloribus, sinè formæ honestamento. Insociabilia colligit, sibiq; contradicit, se ipsam destruit & conficit. Atq; ita Achilles ille, in Ajacem degenerat. Ajacem inquam, qui olim suomet ipsius gladio incumbens, sua manu sibimet ipsi parentavit.

Nec quisquam Ajacem possit superare, nisi Ajax:
Dixit, & in pectus lethalem condidit ensem. (d)

Valeat itaq;, & in tenebris oblitescat, sine honore sepulta definitio, quæ se ipsam jugulat, ac interimit. Quæramus aliam emendatiorem, quæ triplex genus Eloquentiæ disertim ac distinctè explicet, citra ullam repugnantiam. Quid quærimus: Qui benè distinguit, benè docet. Et hoc præstat Cicero. *Is eloquens est, qui & humilia subtiliter, & magna graviter, & mediocria tempe-*

 ratè

(d) Ovidius.

ratè possit dicere. (in Oratore) Quàm brevibus, quàm perfectè omnia enucleavit! ipsamq; emendationem emendavit.

§ 12.

Pura & emendata à verborum vitiis, fandi peritia, quam neq; barbara Dialectus, neq; peregrinitas infuscat, sicut in quavis lingua, Polonica, Italica, Gallica, probabilis, magniq; facienda est; sic & in Latinitate. Tam procul tamen munda & propria dictio, ab arte distat oratoria, quàm procul Grammatica, infra Rhetorem est. Neq; enim, qui in aliquo terso & polito idiomate exercitatus accuratusq; sit, continuò idem tanquam disertus & eloquens, par erit pro Rostris agere: neq; qui ordinarium, & secundùm naturam, quotidianum loquendi modum non excessit, eadem Rostra pro dignitate implebit. Dicit enim Cicero. *Ipsum latinè loqui, non tam boni Oratoris, quàm Civis Romani est. Nemo unquam Oratorem, quòd latinè loqueretur, admiratus est.* Alia igitur reconditior sublimiorq; laus commendat verum oratorem: nempe quædam vis in dicendo admirabilis, inquit Cicero. Qui ergo repurgandis eloquen-

quentiæ vitiis, præter verba verè latina sermonemq; naturæ conformem usitatum, humilem non affectatum, nihil præscribunt; viderint quomodo se à Grammaticæ professione distinguent? Quintilianus certè tales dicendi Magistros, ab officio Grammaticorum non separat. *Hæc professio, ætates nondum Rhetorem capientes instituit, ut narrare sermone puro, nihilq; se supra modum extollente, eandemq; gracilitatem stylô exigere condiscant.*

§ 13.

Sed neq; meliore fortuna Grammatici magisterii personam implebunt, quibus in pueritia literis informanda, placet brevitas & celeritas. Dum enim in enodandis linguæ radicibus, moræ impatientes sunt, in etymologiis derivationibusq; vocum incuriosi; dum potiorem Syntaxeos partem rescindunt; & ad magis speciosa festinant; *compendio morantur*. (Fabius) Dum falsas pro veris regulas substituunt, totamq; hanc artem, tanquam tenuem ac jejunam sibi fingunt, & coràm diffamant; opere ipso defectissimam ac egenam efficiunt: parum profecturam, minimè profuturam. Et hæc causa

causa est, quòd Grammaticorum diligentissimo Quintiliano, tales Ludimagistri, ab instruendis puerorum Classibus abdicendi esse videantur, tanquam oneri Scholæ ferendo impares. *Minimè ferendi sunt, qui hanc artem ùt tenuem ac jejunam cavillantur, quæ vel sola in omni studiorum genere, plùs habet operis, quàm ostentationis: quæ nisi Oratori futuro fundamenta fideliter jecerit; quidquid superstruxeris, corruet.*

§ 14.

Et quoniam magnum in Grammaticis nomen est Emmanuelis Alvari, non alienum puto ejus Viri hìc mentionem facere, ex Petro Ribadeneira, Philippo Alegambe, Francisco Sacchino, & Antonio Franco, Lusitano, Societatis JESU Historicis.

Pater Emmanuel Alvarus, sive, ùt Lusitanus Franco vocat, Alvares, ut alii, Alvarez, Artis Grammaticæ Auctor, natus est in Oppido Ribera Brava, Insulæ Oceani Atlantici Madeira, sive Madera dictæ, Anno Salutis 1525. Societati Jesu adscriptus est, Anno ætatis suæ Vigesimo, 1546. Die 4tâ Junii, Conimbricæ in Lusitania. Ubi, in Regio Collegio, quod jam ab annis quatuor,

or, studio & cura Venerabilis Patris Simonis Rodericii S. J. pro Missionibus Orientalibus erectum fuerat, sub eodem Magistro Rodericio Simone, posito tyrocinio; adhibuit singularem operam linguis Latinæ, Græcæ, & Hebrææ, quas perfectè didicit; & tanquam excellens Magister docuit. In Theologia fecit progressus magnos, & majores in Divinis literis, quæ supra mel & nectar ipsi fuerunt svaves. In eis consulebatur à Viris doctissimis. Rexit Collegium Conimbricense, Eborense, & Domum Professam Ulyssiponensem. Jam Superiorem egerat, plurimùmq; gravabant morbi, cùm illi est à Majoribus injunctum, ut Artem Grammaticæ componeret. Statim adjecit manum operi, quamvis non posset illi præcipi res molestior. Eam confecit omnibus absolutam numeris, & in eo genere hactenus non fuit, qui Emmanuelem æquet. Laborans paralysi Ulyssiponæ, migravit Eboram causâ tentandi cæli: inde in cælum evocatus demigravit Die 30. Decembris 1582. Annô Ætatis 56. Ejus Grammaticam, à Viris doctis mirificè laudatam, copiosè deinde multa eruditione illustravit P. Antonius Vellesius S. J. & Ipse Lusitanus, Eboræ Anno 1599. edito libro, qui inscribitur:

bitur: *Commentarius in Emmanuelis Alvari Grammaticam Latinam.*

Ut verò etiam Sanctitudo Viri modestiſſimi enoteſcat, proderit multis ad exemplum, ſi ejus Virtutes ſaltem obiter attingam. Per totam vitam regnabat in illo humilitas, ſive animi demiſſio & candor, admirabiles. Nolebat ſcire, niſi quod eſſet ſui officii. Scholæ Profeſſor, dictitabat: *Deus, Ego, & tertium Gymnaſium.* Eo verbo ſignificans, adeò mentem gerere ſe occupatam, Deum conſiderando, & ſuam propriam vilitatem, ut nulli alteri rei, à ſuo Magiſterio alienæ, poſſet attendere. Plurimùm cupiit ab omnibus ſperni. Intentus in omnem ſui deſpicientiam, ajebat ſe filium eſſe Viri pauperis, ſe verò ſemper fuiſſe valdè ſuperbum. Cùm enim Pater meus, Vir tenuis (inquiebat) me poſuiſſet ſuæ vineæ cuſtodem, ego rem iniquè tuli, mecumq; fremebam, quòd tam vile miniſterium, commendaretur ejus gradus ſcholaſtico, qui jam ſtudebat Præteritis Verborum. Conſtitutus Rector, dicebat: neſcio quid ſim facturus, ſum truncus in hoc loco poſitus à Sancta Obedientia. Domui Profeſſæ præeſſe juſſus, auditus eſt ſecum ita loqui: Tandem Emmanuel futurus eſt Præ-

Præpoſitus? cæcus & truncus? erit planè res ridicula. Non patiebatur nominari Rectoris aut Præpoſiti nomine, id reputans ſuperbiam. Gubernans Collegium Conimbricenſe, ſimul edocebat Hebræam linguam, habebatq; exhortationes ad ſtudioſos. Ubi convenerant duo diſcipuli, obibat ſuum munus, tanquam ſi ſcholaſticis foret gymnaſiuum refertiſſimum. Vixit ſemper tam obſervans inſtituti ſui, ut nunquam viſus ſit, vel minimam regulam violare, aut aliquid facere, quod levis culpæ argui poſſet. Interrogatus quid eſſet facturus, ſi hâc horâ, ad proficiſcendum ex hac vita, moneretur? reſpondit ſe nihil aliud acturum, quàm quod hâc ipsâ horâ agebat. Meretur citra dubium P. Emmanuel, locum inter Societatis Viros Sanctimoniâ præſtantiſſimos, etiam teſtimoniô ipſius Sancti Ignatii. Tametſi enim non inveniatur Romam aliquando adiiſſe; ex fideli tamen Patrûm Luſitanorum narratione, & ex iis, quæ literis perferebantur de virtutibus Emmanuelis, tantam de illo exiſtimationem habuit Sanctus Pater, ut pronuntiaverit. *Deum, ſi per id tempus vellet agere miracula per aliquem Societatis, non electurum alium, ſuâ ſententiâ, quàm Emmanuelem: quòd eſſet tam puræ &*

ræ & humilis animæ, ut omnium quæ fecisset operum gloriam, uni & soli Deo tribueret. Hæc supra citati scriptores: pleniùs autem Virtutes ejus ex Annalibus Provinciæ Lusitanæ collegit R. P. Antonius Franco, cujus verba fideliter perscripsi, ex libro, cui titulum dedit; *Annus Gloriosus Societatis JESU in Lusitania.* (*e*)

§ 15.

Demirari satis nequeo novi cujusdam Chronographi portentosam commentiendi audaciam, Patrem Emmanuelem Maderensem, ex Insula Madera, toto Oceano ab Europa disjunctâ, in momento, Romam transfert, ibiq; Gaspari Dragonetto Siculo, puerum Elementarium sub ferulam tradit. Jamq; optimis florentem studiis in Lusitania, unde pedem nec extulit, nec Romam vidit; jam linguarum Conimbricæ Doctorem, Romani Grammatici Discipulum creat. Tam confidenter, nullo teste, tanquam si ex Tripode loqueretur. Tam affirmatè, nullo Auctore, acsi diceret, *credite me, vobis folium recitare Sibillæ.* (Horat:) Quid est aniles ineptias in Historiam

(*e*) Post Lusitanam editionem, prodiit Viennæ Austriæ Typis Universitatis 1720.

riam consarcinare, si hoc non est? Ad recantandam hanc fabulam, urgetur suâ ipsius conscientiâ pius Auctor, nisi, quod ipsi fas est, elegerit fabulatoris nomine inclarescere. Nam adulteratæ Veritatis, in opere ter Sancto, tam turpis lapsus, Sacri Historici & nomen, & fidem omnem contemerabit; & ipsam Animam totius operis Piæ Historiæ, suspicioni multiplici reddet opportunam.

Auctor, cujus nomini parco, edidit Librum lingvâ vernaculâ, Annô 1745. Varsaviæ, eumq; devoto sexui Illustrium Matronarum Terræ Vielunensis dicavit. In quo, Vitam & gesta Beati Josephi à Matre Dei pertexens, paginâ octogesimâ nonâ, id commenti inseruit ex suo cerebro. Neq; enim vel Dominicus Franciscus Maria Maggius, ejusdem Beati & Sancti Viri Vitæ scriptor locupletissimus; vel alii suæ Religiosæ Familiæ Annalium compositores, quidquam tale commemorare voluerunt, quod non poterant bona fide probare. Nimirum, probi & Sancti Historici est, ab omni fabulositatis umbra, nedum à tam evidenter futili & vana confictione abhorrere. Istius errati depulsione, satis moderatâ, nec inurbanâ, minimè offendi debet. Homo Religiosissimus. Est enim amica correctio, non Vindiciæ Vapulares. Quali titulo, Apologeticum olim edidit ille *Cælestis ingenii, æternæq; eruditionis Vir Silvester PetraSancta S. J.* judicio ac prædicatione Erycii Puteani.

P § 16.

§ 16.

Philosophiæ, cum Eloquentia, quanta sit conjunctio; ex Cicerone discimus. *Primum positum* inquit, *sine Philosophia non posse effici eum, quem quærimus, Eloquentem. Nam nec latiùs, nec copiosiùs potest quisquam de magnis variisq; rebus sine Philosophia dicere.* (in Oratore) Quæ verò sit hæc ex multis Philosophia? Non illa certè, quæ novitia vocari ambit, & hoc nomine famosa, se venditat: quæ judicia veri & falsi, sensuum magisterio subjicit: quam in Epicuro, Academicorum derisore, irridet & explodit Tullius. Sed qualem Cicero Pater, Ciceroni Filio commendatissimam reliquit his verbis. *Hæc Disciplina docet & definire, & partiri, & ambigui partitiones dividere, & argumentorum locos nôsse, & argumentationem ipsam concludere. Et vera à falsis, verisimilia ab incredibilibus dijudicare, & distinguere: & malè sumpta, aut malè conclusa reprehendere. Et eadem vel angustè dicere, ut Dialectici: vel, ut Oratorem decet, latè exprimere. Illius exercitationis, & subtiliter disputandi, & copiosè dicendi Artis est.* (Partitionum Orat:) Hanc, ex Platonis Academo, in suum Lycæum Aristoteles transtulit, excoluit, perfecit: Angelicus Doctor Divus Thomas, dilucidè explanavit, eamq; Doctrinæ Christianæ fœderatam, contra Averròém, ejusq; consutos dolos, contra Arabum machinationes ferentariam reddidit: ostenditq; Theologicis Veritatibus sive illustrandis, sive à sinistra dissidentium temeritate vindicandis, apprime necessariam. Quam soli oderunt Divinæ Legis Dogmatum depravatores & falsarii. Quorum Antesignani, desciscere à Vaticano nequiverunt, quin simul desciscerent à stagira. (*Pallavicinus.*) Talis Philosophiæ hodierni vituperatores, ac derisores, utrum ad similem defectionis gradum non proludant? nihil statuo. Aliorum erit judicare.

§ 17.

Inter præcipuas Eloquentiæ virtutes, prærogativa claritas est: non quali clarescit aqua, sed quali vinum. Quod quamvis limpitudine decedat; svavitate, robore, sapore, jucunditate excedit: plerumq; eò minùs perspicuum, quò magìs dulce, & generosum. Ultimæ plebis turba, quibus Falernum nec odore noscitur, frigidâ recreantur.

antur. At nobiliori palato, nonnisi vinum meracius in deliciis est. Fuerit licèt illud fæculentum, colore infusco vel plumbeo; tamen pretio valet, & emptorem habet. Ipsa illa spissitudo & acrimonia, præ crystallinis aquis eligitur. Non absimili ratione Eloquentia limpidior probatur, ubi hæc cum majestate, lepôre, vi & acumine sociabilis est. Quodsi major gratia majorq; laudis gustus, ex difficili nascitur, vel ambiguo; nam *ex ambiguo dicta, vel argutissima putantur.* (Cicero) Si aures sortitur non hebetes, non plebeias, sed bene eruditas; quantò à proletario sensu distinctior est; tantò delectabiliùs influit, & movet Salivam. Plana & simplicia, simplicibus; arguta & recondita, sapientibus sapiunt: utrisq; Orator debitor est. (*f*) Ostrum verò adulterinum, maximè est luminosum, sed contemnitur, vile est. Sic Eloquentiam, opacitas aliquando splendidiorem reddit, ut Purpuram livor: vel, quæ comparatio Ciceronis est, ut Umbra picturam. Hæc latiùs exemplis Ciceronis declarantur.

§ 18.

Pöëtas, Oratoribus *proxima cognatione*

(*f*) **Purpura excellit, quæ sublivido nigrantis rosæ colore sublucet.** ***Plin: Hist. l. 9. cap. 36.***

junctos, multis ornandi generibus socios, ac pænè pares, Cicero facit: Ciceronem parem facit Pöëtis Plinius: *quasi verò M. Tullius, Pöëtis, minùs audeat?* inquit. Platonem & Demosthenem, *Divinâ quâdam, & Homericâ eloquendi facultate præcipuos, atq; Divino spiritu instinctis Vatibus comparandos,* Quintilianus. Enimverò relucet hæc affinitas, tum in quadam harmonica numeri pedumq; in periodis traductione, variatione; quæ certis spatiis, & temporibus, ut in metro, sic in prosa, quanquam diversè, metienda est: tum in translationibus, quanquam non ita audacibus: tum præcipuè in figuris Sententiarum vehementioribus, quæ efficiunt, ut Oratio majori contentione & impetu, supra modum se efferat. *A Pöëtis enim, & in rebus spiritus; & in affectibus motus omnis; & in verbis sublimitas; & in persona decor petitur.* (Quintil:) Huc accedit Cicero (L. 1. de Orat.) *In Oratoribus acumen Dialecticorum, Sententiæ Philosophorum, verba propè Pöëtarum, vox Tragœdorum, gestus summorum Actorum est requirendus.* Si quando igitur Oratores parùm videntur differre ab Entheo; id ex proxima cum Pöëtis cognatione usuvenire: quòd *incredibilem illam, singularem, ac Divinam* (loquitur Cicero)

cero) *vim dicendi,* inter nobiliores Eloquentiæ Virtutes reponant.

§ 19.

Ut omnes translationes, ita Hyperbole mirè exornat Eloquentiam. Hæc, definitè, ementiens superjectio dicitur: eò, quòd virtus ejusmodi translationis sit, ut vel supra fidem, vel supra modum rem amplificet. *Oratoribus concessum est, ut aliquid, quod fieri nullo modo possit, augendæ vel minuendæ rei gratiâ dicatur: quæ hyperbole dicitur.* (Cicero in Topicis.) Id si non habet, non est hyperbole. Quia *parium comparatio nec elationem habet, nec summissionem.* (ibidem Cic:) Falsum tamen est, quasi à proprietate, vel à veritate sermonis desciscat, quæ superlationibus elevatur Oratio. *In translatis enim, proprietas, non ad nomen, sed ad vim significandi refertur: nec auditu, sed intellectu percipienda est.* (Quintil:) Neq; plùs verba, non suis rebus accommodata, efficiunt, nisi, ut impropriè loquamur; propriè intelligamur. Quòdsi à proprietate sermonis, ne latum quidem unguem, Metaphora superlationis discedit; multò minus à veritate. Sunt enim hominum res quædam

dam gestæ, quæ vel omnem virtutis numerum attingunt; vel omnem nequitiæ superant: nihil est mediocre, nihil intra modum. Cur igitur à veritatis tramite deflectat Oratio, actionem, quæ, nisi factam fuisse constaret, pro incredibili haberetur, neq; fidem inveniret unquam, si tanquam incredibilem, & quæ fidem omnem superaverit, proponat. Huc refertur, quòd *omnibus, augendi res, vel minuendi cupiditas, à Natura insita sit: nec quisquam vero contentus est.* (Fabius.) Natura ergo ementitæ rei artifex erit? Non sic improba est: sed ad hoc tales loquendi modos natura invenit, ut supereminentis alicujus facinoris, vera imago, recta mensura, justaq; magnitudo, intellectui, non auribus, objecta, ex superlationibus possit concipi. *Conceditur enim, cùm res excedit modum, ampliùs dicere, quia dici, quantùm est, non potest: meliùsq; ultrà, quàm citrà, stat Oratio: & ignoscitur, quia non affirmamus.* (Quintil:) Id est, non id, quod verba adstruunt; sed aliud, magnum tamen aliquid & insolens, designamus Hæc magnificentissimis exemplis ex Cicerone illustrantur.

§ 20.

Admirabilitas, tam intimè illigata Elo-

Eloquentiæ eſt; quàm ipſa ſibi. *Nulla eſt*, inquit Cicero, *ſi admirationem non habet*: nullumq; *bonum Oratorem* idem exiſtimat, qui non fuerit *admirabilis in dicendo.* (in Proæmio Dial:) Et ratio evidens, ex ipſo Oratoris profluit officio: quod eſt, *ars docendi, movendi, delectandi.* An enim docebit, ſi nihil inauditum, nihil inexpectatum adfert? an movebit, niſi cupiditatem noſcendi excitet? an excitabit, niſi delectet? an delectabit, quin in ſtuporem rapiat? Naturâ ita comparati ſumus, ut intellectus, neq; optimis veritatibus afficiatur; niſi motâ appetentiâ Voluntatis; appetentiam viſenda provocant; viſenda, ſtuporem; ſtupor jucunditatem elicit: ut mihi videatur tota Eloquentiæ vis, in admiratione tandem contineri. Nec mihi modò, ſed & Ciceroni. *Animus*, inquit, *nullâ, niſi nova aut admirabili re movetur.* Quid horum præſtat pervulgata, ſimplex, humilis, quotidiana, uſitata elocutio? nihil, vel faſtidium duntaxat, & contemptum. *Inuſitatiora ſunt adhibenda: hæc enim maximè admiramur: admirabile autem jucundum.* Ariſtoteles 2di Rhetoric:. c. 2. *Delectat enim, quidquid eſt admirabile, maximèq; movet, quæ motum aliquem animi miſcet Oratio.* (Cicero Partit. Orat.) *Frequentiſſimæ*

translationes, propter ſimilitudinem, transferunt animos, & movent, qui motus per ſe ipſe delectat. Cic. in Orat. *Qui eos, qui audiunt; quocunq; incubuerit, poſſit impellere; hunc ſtupefacti dicentem intuentur, hunc Deum inter homines putant.* Cic. 3tio de Orat. *Sunt enim maximè admirabilia, quæ maximè inſperata.* Plinius.

§ 21.

Ob eandem rationem, commendantur maximè à Cicerone, ſales Oratorii, *lepos, & facetiæ, ſubtili venuſtate atq; urbanitate conjunctæ, eò, quod admirantur omnes acumen, uno verbo ſæpè poſitum.* (Tullius) Et, *quod auditor acumine, tanquam ſuo delectetur, & gaudeat, non quaſi audiverit, ſed quaſi ipſe invenerit.* (Quintil:) Tales argutiarum flores, copioſiùs interſerit, laudatum à Cicerone, genus Eloquentiæ, quod ipſe medium vocat, *florens, inſigne, & pictum, in quo omnes verborum ſententiarumq; lepôres illigantur: quod omnem ferè rationem, ad delectationem refert.* (Tullius) quod *ſolam audientium voluptatem intendit.* (Quintil:) Non poſtremus autem fons argutæ dictionis, ſunt æquivoca, & contrapoſita. *Translationes maximè probantur,*

tur, cùm per æquivocationem nomen effertur: Et: *contrariorum suavis est dictio, multò magis, cùm ad se brevi referuntur.* (Arist. 3. Rhet:) Unde, *magnæ Veteribus curæ fuit, gratiam dicendi, è paribus, contrariisq; acquirere: delectatus est etiam his M. Tullius.* (Quintil:) Non verebantur, isti Rhetores optimi & antiquissimi, ne, si vocularum similium commissione luderent; penitus judicio laberentur: ne, ductis ex mero verborum conflictu argutiolis, gravioris supercilii jacturam facerent. Secundùm enim Eloquentiæ divisionem, à Cicerone factam, aliud est genus dicendi solidum & robustum; aliud florens, pictum, & expolitum. Ad solam istud audientium voluptatem refertur, non ad robur, non ad victoriam; solam etiam delectationem intendit Orator, non adstrictæ gravitatis fastum: quanquam plerumq; argutiæ, ut sagittæ sunt, quibus ipsum acumen, gravitas est. Istud profectò limatissimum dictat judicium; id callidissima docet prudentia; ut diversissimo dicendi generi, diversissima quærantur sermonis lenocinia.

§ 22.

Neq; alia de causa, M. Tullius, Verborum

borum sententiarumq; Translationes, lumina Orationis vocat, nisi quia delectant, delectabile autem admiramur. *Nullus est.* (ait) *modus florentior, nec, qui plùs luminis afferat Orationi, quàm similitudinis, ad unum verbum, contracta brevitas.* Et: *Omnes translatis & alienis verbis, multò magis delectantur, quàm propriis. Vel, quod ingenii quoddam specimen est, transilire ante pedes posita, & alia longè repetita sumere; vel quod is, qui audit, aliò ducitur cogitatione, neq; tamen aberrat, quæ maxima est delectatio; vel quod singulis verbis, res, ac totum simile conficitur; vel quod omnis translatio cum ratione sumpta, ad sensus admovetur, maximè oculorum, qui sensus est acerrimus. Nam & odor urbanitatis, & dulcitudo Orationis, & mollitudo humanitatis, sunt deducta à cæteris sensibus; illa vero oculorum, multo acriora sunt, quæ pænè in conspectu animi ponunt ea, quæ cernere non possumus.* (l. 3. de Orat.) *Ex omni genere, Translationes frequentissimæ erunt, quod eæ, propter similitudinem, transferunt animos, & referunt, ac movent huc ac illuc: qui motus cogitationis celeriter agitatus, per se ipse delectat.* (ad M. Brutum) Apparet hìc evidenter, quàm Magno, scilicet Cicerone Patrono, vindicantur à derisorum cavillis & rhonchis, illi Rhetores, qui ex Prosapiarum stem-

ſtemmatibus, ex Inſignibus Honorum, munerum, Nationum &c. aliisq; quæ Perſonam circumſtant, (ut Cicero vocat) Adjunctis, ductas allegorias, in encomia referunt. Cùm enim omnes translatis & alienis verbis, multò magis delectantur, quàm propriis; Virtutes & laudes Perſonarum Illuſtrium, ſub aliena imagine repræſentatæ, maximè delectant: eò, quòd is, qui audit, aliò ducitur cogitatione, neq; tamen aberrat: *quæ maxima eſt delectatio.* Cave igitur, his, qui ſic alludunt, labem juvenilitatis, ne inuras. Cicero enim qui hæc docet, nunquam puerorum Ludimagiſter fuit, Scholam inſtituit nullam, ſed Viros qui Eloquentiam in Foro, & Curia, ſaluberrimam, Rationibusq; Reipublicæ ſummè accommodam exercerent, erudiebat.

§ 23.

Quantùm verò gratiæ Orationi arrogant Figuræ Verborum, quæ numerum Oratorium conſtituunt; Idem Cicero explicat. *Orationis lumina & quodammodo Inſignia ſunt* (dicit) *cùm aut duplicantur, iteranturq; Verba, aut breviter commutata ponuntur, aut ab eodem Verbo ſæpiùs ducitur Oratio, aut in idem*

idem conjicitur, aut in utrumq;: aut adjungitur idem iteratum, aut idem ad extremum refertur, aut continenter unum verbum in eadem ſententia ponitur, aut cùm ſimiliter vel cadunt verba, vel deſinunt; aut cùm ſunt contrariis relata contraria, aut cùm gradatim ſurſum verſus redditur, aut cùm, demptis conjunctionibus, diſſolutè plura dicuntur: aut cùm corrigimus noſmetipſos quaſi reprehendentes; aut ſi eſt aliqua exclamatio, vel admirationis, vel conqueſtionis; aut cùm ejuſdem nominis caſus ſæpiùs commutantur. (Orator ad Brutum) Taliſne ad naturæ ſimplicitatis formam reducitur, ac repingitur Oratio?

§ 24.

Sed longè maximè, ſi Ciceroni credimus, Figuræ Sententiarum, ſtupendam & vibrantem reddunt Eloquentiam. *Majora*, inquit, *Sententiarum ornamenta ſunt: nec aliud eſt Oratoriè dicere, niſi omnes, aut plerasq; aliqua ſpecie illuminare ſententias. Sic igitur dicet ille, quem expetimus: ut verſet ſæpè multis modis eandem & unam rem, ut in eadem hæreat immoreturq: Sententia: ſæpè etiam extenuet aliquid, ſæpè irrideat, ſæpè declinet à propoſito, deflectatq; ſententiam: ut, cùm tranſegit aliquid, ſe ipſe revocet, ut interrogando urgeat, ut rurſus quaſi ad interrogata ſibi reſpondeat, ut contrà, ac dicat,*

dicat, accipi ac sentiri velit: ut addubitet quid potius, aut quomodo dicat? ut denunciet quid caveat? ut aliquid relinquat ac negligat, ut ante præmuniat, ut sæpe cum illis, qui audiunt, quasi deliberet: ut hominum mores describat, ut muta quædam, eloquentia inducat, ut sæpe in hilaritatem risumq; convertat: ut anteoccupet quod putat opponi, ut aliquid reticere se dicat, ut denunciet quid caveat? ut aliquid liberius audeat: ut irascatur, ut objurget aliquando, ut deprecetur, ut supplicet, ut medeatur; ut optet. Sæpè etiam rem subjiciet oculis, sæpe supra feret quàm fieri possit: significatio sæpe erit major, quàm oratio: sæpe hilaritas, sæpè vitæ naturarumq; imitatio. Hoc in genere, nam quasi Sylvam vides, omnis eluceat oportet Eloquentiæ Magnitudo. Hæc Orator ad M. Brutum. Eant nunc, qui molem & farraginem Præceptorum, tanquam Sylvam inutilem, à limine Palæstræ Oratoriæ exterminant. Cùm Eloquentiæ Magnitudo, ex horum multitudine pensatur, noscitur, spectatur.

§ 25.

Ex his omnibus, hæc veritas elucescit: omnem fermè ornatum Eloquentiæ, non spurium, sed quo alium illuminatiorem invenire non est, coalescere ex translationibus & figuris, cùm verborum, tum sententiarum. Quòd verò hæc Cicero tam studiosè explicuerit, tam prolixè congesserit, tam diligenter, ut nihil, quod ornare sermonem possit, prætermiserit; causam esse, quia Magi-

Magistrum Rhetorem agit; quia format bonum Oratorem; quia Eloquentiam talem, quæ Rationibus Reipublicæ ad votum responsura sit, instillare laborat. Ars nobilior nulla sine Doctore acquiritur, quia nulla sine Præceptionibus est. Sic & Artem ornandi sermonis præceptricem, quæ definitè Eloquentia est, difficillimè, aut nunquam condisces, nisi omnia dicendi ornamenta, à ludo & Magistro explicata retuleris. Quid igitur faciunt illi Boni Viri, qui hæc ipsa ornamenta, Quæ enim alia, quæ in dictis non contineantur? ad lectionem, usum, ætatem, imitationemq; rejiciunt? Hoc faciunt, quod aliquis famosus Pictor, qui novam picturæ, perbrevì, & expeditissima ratione perdiscendæ, Scholam aperiret: lectisq; undelibet, ac pellectis ingenti pollicitatione Discipulis, rude quoddam signorum lineamentum, ducto super tabulam gypso, ruditer exararet; de coloribus verò, qui lentus, surdus, languidus; qui vividus, satur, floridus sit, nihil & nihil: quomodo lux umbræ, umbra luci accommodanda sit, nihil & nihil traderet: diceret tamen: Abite jam mea gloria, Discipuli: facti eximii, absolutiq; pictores: jam rude donati estis. Penicilli quidem ducendi subtiliores lineas & ornamenta, atq; vivis coloribus animandæ illuminandæq; imaginis rationem, facilè vos lectio, ætas, usus, imitatio docebit. Nonne talis Artifex fucum facere, fumosq; vendere, & arrectos in optimam spem Juvenes, frustratione eludere putandus sit? Quis dubitat? Aliud enim promittebat, & eorum, quæ pollicitus est, præsti-

præstitit nihil. Non omnino absimili modo, bene ornatéq; dicendi Magisterium professi, qui Eloquentiam, ad usq; usitatissimam, & humilem puri sermonis consvetudinem deprimunt, sine ulla Ornamentorum explicata notitia, expolitione, exercitatione, doctrina: quæ ad lectionem imitationemq; rejiciunt, ad seram ætatem & usum remittunt, utrum ingenuis Adolescentûm animis, caliginem non offundant: ætatemq; sensu infirmiorem, sanæq; dijudicationis adhucdum rudem, sub ostentatione aureæ docendæ Eloquentiæ, in totius scientiæ & artis Oratoriæ naufragium non perducant? in hoc ego neq; judex, neq; præcautor esse volo. Sed est Quintilianus, qui subterfugiendos illaudabiles Rhetorices Magistros, quasi digito designat. (l 2. & 8.) *Imprimis vitandus est in pueris Magister aridus, sicut teneris plantis siccum & sine humore solum. Inde enim fiunt humiles statim, & velut terram spectantes: qui nihil supra quotidianum sermonem attollere audeant: & quod maximè nocet, dum omnia timent, nihil conantur. Dum timent ne aliquando cadant, semper jacent.*

Macies illi pro sanitate: & judicii loco, infirmitas est.

FINIS.

TOTA ET SOLA AUCTORI INVIDIA
TOTA UTILITAS PROXIMO.
TOTA GLORIA DEO.

Errores Typi

Pag: 30. ℣. 1. ngura lege: figuræ.
p. 113. ℣. 10. Scicentiarum l. scientiarum.
p. 141. ℣. 23. Saltarici l. saltatrici.
p. 180. ℣. 7. Penitus l. penitus.
Ibidem ℣. 26. coformiter l. conformiter.
p. 181. ℣. 15. Numeros, tanquam l. numeros, cum numeris, tanquam.
p. 188. ℣. 3. profiiteris, l. profiteris.
Ibidem ℣. 9. verbumq; l. verborumq;
p. 211. ℣ 5. grammaticos l. grammatices.
pag: 212. ℣. 8. Alvares l. Alvres.